DOMINICI MARIAE BECUCCI FLORENTINI ... ARS METRICA, SEU DE GRÆCORUM...

Domenico Maria Becucci





Prosodia Graeca

1782.

DOMINICI MARIÆ BECUCCI
FLORENTINI
ECCLESIÆ S. FELICIS AD IMAM PRÆPOSITI
ET GRÆCARUM LITTERARUM IN PATRIO SEMINARIO
OLIM PROFESSORIS

ARS METRICA
SEU
DE GRÆCORUM PROSODIA TRACTATUS

CUM
*Additamentis Obſervationibus & Regulis
nunc primùm Latino Carmine expoſitis
ad Uſum Studioſæ in Græcâ Poëſi*
JUVENTUTIS.





COLLE, MDCCLXXXII.
TYPIS ANGELI MARTINI, ET SOCIORUM.

Permiſſu Præſidum.

Prosodia dicitur apud Græcos, quod προσᾴδεται ταῖς συλλαβαῖς. *Eo autem nomine præcipuè vocatur Ars Metrica, quæ tractat de Syllabarum Quantitate, Pedum Compositione, & Versuum Numero, ac Mensurâ.* Diomedes lib. 2. De Accentibus inter Grammaticæ Latinæ Auctores editos ab Heliâ Putschio, an. 1605.

Est & alia species Geometriæ, quæ appellatur Μετρικὴ, *per quam Syllabarum Longarum & Brevium & Mediocrium iunctura & modus congruens cum Principiis Geometriæ, aurium mensurâ examinatur. Et has Disciplinas, quia in Principiis ipsis ineptæ & insuaves videntur, aut omnino non discimus, aut priùs desistimus, quàm intelligamus, cur discendæ sint, inquit* M. Varro. *Voluptas autem vel utilitas talium Disciplinarum in post-principiis exsistit, quùm perfectæ absolutæque sunt.* Aulus Gellius Noct. Att. lib. 16. cap. 18.

Nos itaque tanti viri iudicio freti, nihil verebimur hisce Grammaticis studiis paullulùm immorari; quùm & ipsius rei usus, & de nonnullis bene merendi voluntas satis nos contra invidorum cavillationes in hâc parte munire possint. Ios. Barnesius in Tract. de Tragoediâ Veterum Græcorum, Editioni Euripidis studio & operâ eiusd. Cantabrigiæ an. 1694. præmisso.




Cosimo Colombini del. e sc.

M

PETRO · LEOPOLDO

REGIO · HVNGARIÆ · ET · BOIOHEMIÆ · PRINCIPI
ARCHIDVCI · AVSTRIÆ
MAGNO · ETRVSCORVM · DVCI · IX
PIO · FELICI · SAPIENTI
CONSERVATORI · LIBERTATIS
PATRI · PATRIÆ
QVOD
VETERIBVS · VECTIGALIBVS · EX · MAGNA · PARTE · REMISSIS
SVBLATISQ · PVBLICANORVM · CALVMNIS
ANNONAM · LIBERIVS · VAGARI · PERMISERIT
VBERTATEM · ARVORVM · PROMOVERIT
ARTIFICVM · INDVSTRIAM · EXCITAVERIT.
QVOD
FLVMINVM · PONTIBVS · AGGERIBVSQ · IN · ORA · MARITIMA
AB · INCHOATO · EXTRVCTIS
VIISQ · MILITARIBVS
PER · ARDVA · MONTIVM · PATEFACTIS
CIVIVM · COMMERCIA · ADLEXERIT
EORVMQ · FELICITATI · ET · OPVLENTIÆ · PROVIDERIT
QVOD
VT · AD · CHRISTIANAM · PIETATEM · ET · LITTERAS
PVERI · INSTITVERENTVR
SCHOLARVM · NORMALIVM · IN · IMPERII · SVI · PROVINCIIS
PVBLICAS · ACCESSIONES · FECERIT
OPTIMO · IPSI · MAXIMOQ · PRINCIPI
DE · HISTORIA · NATVRALI · DE · ANATOME
DE · RE · ANTIQVARIA
DE · ARTIBVS · ET · SCIENTIIS · OMNIBVS
EARVMQ · CVLTORIBVS
AC · DEMVM · DE · SE · BENEMERENTI
ARTEM · METRICAM · SEV · TRACTATVM · HVNC · SVVM
DE · GRÆCORVM · PROSODIA
DOMINICVS · MARIA · BECVCCIVS
DEVOTVS · GENIO · MAIESTATIQ · EIVS
DEDICABAT.



LECTORI ERVDITO.

DUo hic in limine haud abs re mihi enarranda arbitror, Lector Erudite. Primum est, quo consilio, quâve occasione huic Operi manum admoverim; alterum, quibus præmunitus subsidiis ad hoc, ut in publicam lucem prodiret, idipsum concinnaverim.

Itaque id nempe iis, qui vel mediocriter litteras attigerunt, haud ignotum, initia ac rudimenta, ut in omni arte, ita & in Græco studio non parum molestiæ adferre Tironibus. Molestia autem hæc biceps: altera enim in his; quæ ad Grammaticen spectant, sita est; in rectâ Syllabarum Dimensione agnoscendâ versatur altera. A' priore illâ molestiâ proclive effugium; tot enim ad hanc usque nostram ætatem à doctis Grammaticis in lucem edita sunt, & in præsens omnium manibus teruntur, volumina, ut si quis optimis, quibus scatent, præceptionibus ad explanandos Græcos prosæ orationis Scriptores instructus accedat, quascunque sibi complanare Grammaticas difficultates facilè possit, & ab adsequendâ genuinâ dicti sententiâ neutiquam sit alienus. Alteri verò molestiæ haud satis hactenus, quâ commitigetur, adaperta via. Atque id provenire censeo cùm à nimiâ quorundam Græcæ Prosodiæ *Scriptorum credulitate, qui permagni pendentes tritum illud, & in ore etiam pueris habitum* = GRÆCIS NIHIL NEGATVM EST =, *Regulis, quibus ratio Græcæ Quantitatis cognoscendæ præscribitur,*

operam

operam navare supervacaneum esse iudicarunt; tum à nonnullis typis Transalpinis excusis Operibus ad Rem *Græcorum* Metricam *non parum quidem utilibus, sed vel nunquam ad nos advectis, vel ad eam raritatem redactis, ut sibi ea comparare cupientibus ingenti numeratâ pecuniâ vix prostent; adeò ut ob alterutram ex duabus hisce rationibus iter ad Græcas Musas difficile implexumque Tirones experiri necesse sit.*

Enimverò duplex hocce incommodum semel ac Litterariæ Reipublicæ innotuit, iam tum aliquod sibi comparari postulabat remedium. Quod & præsentissimum, & maximè idoneum putabatur fore, si quispiam de Græcâ Prosodiâ *denuo procurandâ excogitasset, & quà utiliora scitu seligendo, quà de iis, quæ ab aliis tradita sunt, iudicium ferendo, quà vetera adoptando, & nova non pauca veteribus adiiciendo, ferculum Tironibus præbuisset, quo intimè alti, & læti, & alacres per amoenissimos Poëtarum Græcorum hortos, haud, inquam, pedetentim procedere, sed animosè possent excurrere, donec optatam metam contingerent avidissimè.*

Hæc iam pridem meditanti præclarum mihi succurrebat, si fortè vires suppeterent, suscipiendi huius in me laboris consilium; nec minùs bona illud exequendi videbatur offerri occasio; nam, quùm eodem tempore, ut convenienter professioni institutoque meo in Seminario Florentino τῶν φιλελλήνων *studia acuerem, Græcos quosdam Poëtas, maximè verò, qui inter illos publico adprobationis calculo primas tenet, immortalem* Homerum *Patriâ Linguâ vertere adgressus essem, coepi iam inde de industriâ post brevem Græci contextûs explanationem, quantam, scilicet, numeris omnibus absoluta periodus comprehenderet, notulis quibusdam ad Dimensionis Syllabarum scientiam adprimè facientibus, contextum ipsum interspergere; illinc verò, ubi quieveram, novam alterâ vice Græcam lectionem, & explicationem repetere, subsequentibus aliis similiter ad Græcam Poësin valde utilibus additamentis, & observationibus, & sic deinceps.*

ceps. Quâ exercitatione & laboriosam interpretandi provinciam Studiosæ meæ Iuventuti edulcabam, & domestico penori complura mittebam, quæ postea huic inlustrandæ Prosodiæ *inservirent. Et quoniam nostra hæc docendi ratio haud despicatui haberi, sed contra summopere adridere videbatur, idcirco ulteriùs progredi animum induxi meum, Operi, quod tunc habebam in manibus bene providéque consulturus. Eapropter ex probatioribus Græcæ* Prosodiæ *Scriptoribus vulgatos iampridem pro Syllabarum Dimensione Canonas depromere, eosque Græcorum Poëtarum placitis convenientiùs aptatos, castigatiores, auctioresque, ubi res id exigeret, quantâ potui diligentiâ, redditos, Epico Carmine, eâ solùm adductus ratione, ut firmiùs nostratium Tironum memoriæ insiderent, vertere suscepi.*

Hic itidem labor, quùm brevi iam ad finem usque esset perductus, & aliqua ex eo depromta Carmina post Græcanicas meas Prælectiones identidem recitarem, ipsi Iuvenes, qui eâ tempestate ad me audiendum haud parvo numero convolabant, hortari me impensè coeperunt, atque urgere, ut omnia idgenus Carmina unà cum aliis in illâ à me, & pro more quidem meo, adnotatis, in eorum unicè intentus commodum, qui Veterum Poëtarum Græcorum lectioni vacant, tandem aliquando prelo subiicerem.

Eram tum fortè aliis distentus studiis, aliisque distractus curis atque laboribus, quos neque intermittere, neque in aliud tempus differre fas esset. Nihilominus, tum quia eorum votis, & amicorum quorundam capitum hortatibus indulgere cupiebam; tum quia me levi operâ, neque longi laboris tædio in Versibus illis expoliendis, uberiusque exornandis defunctum iri confidebam, graviorum occupationum factâ intermissione, omnes illos ante dictos conatus Studiosæ in Græcâ Poësi Iuventuti me nuncupaturum, meque publici iuris facturum quantociùs spopondi.

Verùm præter animi destinationem res illa paullò aliter cecidit. Factum enim, ut, dum adcuratiùs mea vestigia relego,

lego, & propiùs tracto, delendi gratiâ quicquid rectè minùs à me scriptum foret, vel supplendi omissum, quod alicuius penderetur momenti, haud parum mihi sub manum creverit ille à primo utique tempore meditatus labor: atque exinde natum sit, ut in ampliorem, quàm quæ initio destinata fuerat, solidum Opus excresceret, molem. Hoc habes proinde, Lector Erudite, in tres Sectiones divisum; in quarum priori agitur De Græcorum Litteris & Syllabis, De Pedibus, De Syzygiis, De Versu, Metro, & Rhythmo, De Metrorum Generibus, De Basi, seu Fundamento Metrorum, & De Carminum Formis in Cantu Chorico. *Secunda Sectio complectitur* Præcepta Generalia de Syllabarum Græcarum cùm in medio, tum in fine dictionum exstantium, Brevitate ac Longitudine. *Ultima tandem Sectio inscribitur:* De Figuris, & De Licentiâ, quam adpellant, Poëticâ vulgò minùs intellectâ.

Levia forsan hæc omnia, sed talia prorsus non erunt, ut insubidè traduci debeant. Præterquamquòd enim non pauca nusquam alibi exstant, reliqua aut recondita, aut faciliore quopiam ordine disposita & concinnata, & in universum utilia profectò sunt. Quamobrem, si qua aut novitatis, nam iuxta Ovidianum *effatum ex Pont. Lib. III. Ep. IV. v.* 51;

Est quoque cunctarum novitas carissima rerum;

aut saltem utilitatis ratio habeatur, haud temerè auguror, meis hisce indagationibus & laboribus commendationem aliquam fore accessuram. Ceterùm, quibus præmunitus subsidiis Opus in lucem emiserim, paucis indicabo.

Regulis opus esse, ne in adsignandâ Syllabarum Græcarum Quantitate latissima erroribus aperiatur fenestra, notius est, quàm ut à me verbis explicari queat. Quùm autem eiusmodi Regulæ haud tradi Veteribus Græciæ Poëtis adcuratissimis, sed ab eis accipi debeant, quandoquidem hæ ante illos non exstiterunt, sed post eos, & ab eis formatæ sunt; statim liquet, de Græcâ Dimensione scripturo, horum Poëtarum lectionem meritò non esse prætereundam. Hanc

igi-

igitur ut non nudam aut infructuosam, sed bonâ fruge plenam peragerem, sedulam navavi operam. In eum finem recentiores Poëtarum Græcorum, & inter hos Tragicorum & Comoediæ Scriptorum advocavi Editiones, quales fuerunt, Homerus *Londini editus & in quatuor Tomos distinctus à* Samuele Clarke : Homerus *Cantabrigiæ vulgatus curâ & studio* Iosuæ Barnesii : Callimachi Hymni, & Epigrammata *cum notis Variorum ex recensione* Theodori Grævii : Novus Græcorum Epigrammatum & Poëmatων Delectus cum novâ versione & notis Thomæ Iohnson, *ut aliarum, ne sim prolixior, quas tenui cum fructu legi ac pervolutavi, numerationem facere prætermittam. Neque me frustrà in hâc exercitatione fuisse arbitror; ex eâ quippe nata est non læta fortè, sed copiosa Additamentorum, & Observationum, quæ in secundâ huius Operis Sectione singulis quibusque Præceptorum Interpretationibus & Exemplis subiecta prostat seges, & siquid ego iudico, minimè poenitenda. Hæc utique priora fuerunt subsidia, quibuscum ad hanc* Prosodiam *scribendam animum adplicui.*

Alia subsidia debeo partim T. Morell, *ex cuius Thesauro Græcæ Poëseωs verè inclyto & cedro digno, non ita pridem Etonæ typis vulgato, non pauca conlegi; partim* Scaligero, *ex cuius Arte Poëticâ nonnulla depromsi; quibus omnibus postea ad hanc Spartam ornandam passim usus sum.*

Index quoque Vocabulorum Homeri *à* Wolfgango Sebero *editus, &* Conradi Dinneri *Epithetorum Græcorum Farrago, ad excitanda Scriptorum exempla, pro adstruendâ Syllabarum Quantitate, quorum vel unum præterire religio erat, adiumento mihi fuerunt longè maximo.*


Utinam alia quædam rariora in rem nostram monumenta à Recentioribus huiusce ævi Scriptoribus in vulgus edita, & signanter Synopsin Dramatis, Πενταλογία, *sive Tragoediarum Græcarum Delectui Edit. Etonæ an.* 1758. *præfixam, excutere, ac perlustrare licuisset: nullus enim dubito, quin pleraque ex hisce promtuariis eruta, à Græcarum*

Comoediarum, & Tragoediarum cognitione imparatæ Iuventuti non parum fuissent profutura, & Operis perfectionem simul præstitura. Ex earum tamen, quæ fieri poterant, adcessionum defectu non sequitur, ut, pro virili meâ, necessariò huc convehenda, & quæ maximi hoc in negotio momenti esse censui, Tironum oculis quoquomodo non subiecerim; Adeò ut, si ea non sint satis ad Dimensionis scientiam, huic quid satis futurum sit, me nescire non diffitear.

Atque ita concinnatus, quem tibi, Lector Erudite, exhibeo Librum, prodit. Quòd si fastidiosior hos tenues labores abieceris, tanquam palato tuo minus gratos, Iuvenibus saltem in Græcâ Poësi Tironibus degustandos relinque; & ero satis beatus, si, quæ Tironibus scripsi, in Tironum cedant commodum atque utilitatem.



SE-




SECTIO I.

CONTINENS
GRÆCÆ POESEOS
ELEMENTA.

CAP. I.um

De Græcorum Litteris & Syllabis.



 *Itteræ* apud Græcos primigeniæ ſedecim numero fuerunt, videlicet,

Α', Β', Γ', Δ', Ε', Ι', Κ', Λ', Μ', Ν', Ο', Π', Ρ', Σ', Τ', Υ';

quas primùm è Phoeniciâ in Græciam *Cadmum* intuliſſe *Plinius* auctor eſt, *Lib. VII. cap.* 56; unde Καδμήϊα γράμματα, & Φοινικήϊα *Cadmeæ*, ſcilicet, & *Phoeniciæ Litteræ* dictæ ſunt.

Neque id ſolùm; ſed etiam, *Troiano* bello, ſedecim prolatis *Palamedem* adieciſſe quatuor, nimirum,

Θ', Ξ', Φ', Χ';

totidemque poſt eum *Simonidem Melicum*, nempe;

Ζ', Η', Ψ', Ω';

idem *Plinius loco excit.* adfirmat. Quibuſcum dinume-

ratæ primigeniæ viginti quatuor *Litterarum* numerum exæquant.

Litteræ aliæ ſunt *Vocales*; aliæ *Conſonantes*.

Vocales principio quinque,

A', E', I', O', Υ';

omnes quidem, ſi earum ſpectes *Proſodiam*, *Ancipites*, hoc eſt, in quibuſdam *Syllabis Longæ*, in aliis verò *Breves*; omnes, inquam, ἐ etiam, & ὀ; nam priſcè indiſcriminatim ἐ pro ἑ, & pro ἡ uſurpabatur; quemadmodum ὁ pro ὀ, & pro ῳ, ut liquet ex nummis tum *Athenienſium*, tum *Thebanorum*, in quibus non rarò occurrit Κνοσίον pro Κνοσίων, Θηβαίον pro Θηβαίων, Α''θε. pro Α''θη., quæ ſunt duæ *priores Syllabæ vocis* Α'θήνη.

Poſt *Litteras* à *Simonide Melico* primigeniis adiectas, ſeptem è quinque, quales ſunt in præſentiâ, Græcorum *Vocales* factæ, ideſt,

A', E', H', I', O', Υ', Ω'.

Atque hoc non ſine magno *Proſodiæ Græcæ* fructu. Coepit tum enim uſurpari ἡ & ῳ iis in *Syllabis*, in quibus *Vocales* ἐ & ὀ *Longæ* erant; contrahi *Ancipitum* numerus; & quæ ignota antehac fuerat, perquàm utilis haberi *Vocalium* diviſio in duas ſemper *Longas*, nimirum, H', Ω'; in duas ſemper *Breves*, ſcilicet, E', O'; in tres demum *Ancipites*, nempe, A', I', Υ'.

Conſonantes ſeptemdecim, quarum *Mutæ* novem;

Π', B', Φ',
K', Γ', X',
T', Δ', Θ'.

Notabis, in lineâ priore deſcendendo *Conſonantes Mutas* exſiſtere, quas vocant, *Tenues*; in ſecundâ, quas adpellant, *Medias*; in tertiâ, quas nominant, *Aſpiratas*.

Semivocales octo; ex his *Duplices* tres,

Z', Ξ', Ψ'.

Liquidæ quatuor, quas etiam adpellant *Immutabiles*,

Λ', M', N', P'.

Σ' nec

Σ' nec *Duplex*, nec *Liquida*, ſed *Littera ſuæ poteſtatis*. Quùm autem Σ' *ſuæ poteſtatis Litteram* dixerunt Græci Antiquiores, haud ſcio an hoc ſibi voluerint: *Litteras* ζ', ξ', ψ', neceſſariò quidem *Duplices* eſſe; *Conſonantium* reliquas omnes, *Simplices*; unicam Σ', iſtiuſmodi eſſe, ut permultis in locis, ac præcipuè in *Verborum Aoriſtis*, *Simplex Duplexve* ex æquo pronuntiari poſſit.

Litteris vel unâ, vel pluribus coaleſcit *Syllaba*.

Syllabæ, præter *Litteras*, tria accidunt, ſcilicet, *Proſodia*, *Spiritus*, & *Tempus*.

Proſodia ex *Quinctiliano* eſt *Accentus*, *Tenor*, ſeu *Tonus Syllabæ*. A nobis tamen uſurpatur *Proſodiæ* nomen pro *Arte* cognoſcendi, & diſcernendi *Syllabarum Quantitatem*, hoc eſt, *Longitudinem*, & *Brevitatem*, de quibus agimus in Secundâ huius Operis Sectione; vel etiam eo in ſenſu, ut *Quantitas* & *Proſodia* nomina ſint *συνώνυμα*; & ſic attendenti in hâc Arte paſſim reperire erit has *voces* — *non erit abſimilis Proſodia* - *nec aliam deprehendere eſt Proſodiam* - *contra præſens Præceptum recepta Proſodia &c.* pro - *non erit abſimilis Quantitas* — *nec aliam deprehendere eſt Quantitatem* — *contra præſens Præceptum recepta Quantitas &c.*

Spiritus Syllabæ eſt qualitas quædam, quâ aſperè, vel leniter ea effertur; clarius: *vis*, *halitus*, *anhelitus*, atque *energia*, quâ *Syllabæ* proferuntur. Exempla, quid velim, oſtendent. Adſint *voces* *γένος*, *τάφον*, *λύρη*, deinde *θεὸς*, *φίλος*, *χάρις*. Fac velis *priorem* uniuſcuiuſque *Syllabam* pronuntiare, nonne maiorem ſpiritum, aut vim adhibeas neceſſe eſt in efferendis *prioribus vocum* *θεὸς*, *φίλος*, *χάρις* *Syllabis*, quàm in pronuntiandis *prioribus vocum* *γένος*, *τάφον*, & *λύρη*? Idcirco Græci, antequàm à *Palamede* tres *Aſpiratæ* ϑ, φ, χ, reperirentur, maiorem hunc *Spiritum* & *Vim* indigitare volentes, ἡ pingebant poſt τ, π, κ, teſtantibus nummis ab eiſdem cuſis, hoc pacto: τηεὸς, πηίλος, κηάρις.

Tempus eſt ſpatium illud, quod, dum profertur *Syllaba*, abſumitur.

Tempus hoc in loco vocatur *Musicum*, quod non manu, quemadmodum nos, sed pedis ictu veteres metiebantur. Porrò huiusmodi ictus, qui duas in partes diffindebatur, in aëre incoeptus, contra quam nos facimus, humi quiescebat; & ex duabus partibus illis, altera ἄρσις, scilicet, *sublatio*; altera θέσις, nempe *positio* fuit adpellata.

Syllaba Brevis est unius *Temporis*; *Longa* verò duorum. Sic in pronuntiando ὁς *Brevi Syllabâ*, unicum duntaxat *Tempus* impenditur, contra quod accidit in pronuntiando ὡς, *Syllabâ Longâ*, quæ duo exigit *Tempora* in sui pronuntiatione, æquè ac si geminata fuisset & scripta οός, scilicet, duplici ό. Verùm hæc pronuntiandi consuetudo iis tantum nota, qui à teneris unguiculis Græcam Linguam, ut nos vernaculam, addiscebant. Quarè nobis ex emortuis Poëtarum scriptis haurienda; quæ res eò maiorem postulat cautionem, quò Græcâ maternâ Linguâ loquentes nunquam *Vocalem* in scribendo geminare consueverunt, ut duobus hanc ipsam constantem *Temporibus*, & consequenter *Longam* esse, (ut fecerunt Latini, apud quos *venit* in *Præterito* ex. gr. scriptum occurrit aliquando *veenit*) suæ Linguæ pronuntiationi non adsuetis demonstrarent.

CAP. II.um

De Pedibus.

EX *Syllabis* (a) iusto ordine dispositis fiunt *Pedes*. *Pes* autem est duarum *Syllabarum*, pluriumve compositio ex certâ *Temporum* observatione.

Pe-

(a) Supple – *Brevibus ac Longis; neque enim loqui possumus nisi è Syllabis Brevibus ac Longis, ex quibus pedes fiunt*, Quinctilian. Instit. Orat. Lib. 9.

Pedum tria ſunt genera; quidam *diſſyllabi*; alii *triſyllabi*; alii *tetraſyllabi*.

Pedes pluſquàm *tetraſyllabi* inuſitati apud Græcos Poëtas æquè ac penes Latinos, ſed Oratoriæ potius competunt facultati.

Pedes in univerſum plures non ſunt, quàm duodetriginta; de quibus infra.



PE

PEDES DISSYLLABI, QUI ET SIMPLICES, QUATUOR.

EXEMPLA.

I. Pyrrhichius	B B	θεός.
II. Spondæus	L L	ψυχή.
III. Iambus	B L	θεά.
IV. Trochæus, ſeu Choreus	L B	σῶμα.

PEDES TRISYLLABI, QUI ET SIMPLICES, OCTO.

EXEMPLA.

I. Tribrachys	B B B	πόλεμος.
II. Moloſſus	L L L	εὐχωλή.
III. Dactylus	L B B	σώματα.
IV. Anapæſtus	B B L	βασιλεύς.
V. Bacchius	B L L	ἀνάσσει.
VI. Antibacchius, vel Rhodius, vel Palimbacchius	L L B	μάντευμα.
VII. Amphibrachys	B L B	θάλασσα.
VIII. Amphimacrus, ſeu Creticus	L B L	δεσπότης.

PEDES TETRASYLLABI, QUI ET COMPOSITI, SEDECIM.

VOcantur *Compoſiti*, quia ex hactenus dictis componuntur, non quidem ex omnibus promiſcuè, ſed ex ſolis *Diſſyllabis* bis poſitis. Hæc autem compoſitio fit vel per *pedes* pares, vel per *pedes* diſpares; per pares, ut quùm *Spondæus* ponitur cum *Spondæo*; per diſpares, ut quùm *Trochæus Iambo* coaleſcit. Si *pedes* ſint pares, *Dipodiam* efficiunt, aut, ut quidam volunt, *Tautopodiam*; ſi diſpares, *Aniſopodiam*.

EXE-

EXEMPLA.

I. *Proceleuſmaticus, ſeu Dipyrrhichius*	B B B B	πολέμιος.
II. *Diſpondæus*	L L L L	συνδουλεύσω.
III. *Diiambus*	B L B L	ἐπιστάτης.
IV. *Ditrochæus*	L B L B	δυστύχημα.
V. *Choriambus*	L B B L	σωφροσύνη.
VI. *Antiſpaſtus, ſeu Iambichoreus*	B L L B	ἁμάρτημα.
VII. *Ionicus à Maiore, ſeu Spondæpyrrhichius*	L L B B	κοσμήτορα.
VIII. *Ionicus à Minore, ſeu Pyrrhiſpondæus*	B B L L	πλεονέκτης.
IX. *Pæon Primus, ſeu Chorepyrrhichius*	L B B B	ἀστρόλογος.
X. *Pæon Secundus, ſeu Iambipyrrhichius*	B L B B	ἀνάξιος.
XI. *Pæon Tertius, ſeu Pyrrichoreus*	B B L B	ἀνάδημα.
XII. *Pæon Quartus, ſeu Pyrrhiambus*	B B B L	Θεογένης.
XIII. *Epitritus Primus, ſeu Iambiſpondæus*	B L L L	ἁμαρτωλή.
XIV. *Epitritus Secundus, ſeu Choreſpondæus*	L B L L	ἀνδροφόντης.
XV. *Epitritus Tertius, ſeu Spondiambus*	L L B L	εὐρυσθένης.
XVI. *Epitritus Quartus, ſeu Spondæchoreus*	L L L B	λωβητῆρα.

De Syzygiis.

SYzygia Græcum *Vocabulum* Latinè *Coniunctionem* significat. Hoc maximè utuntur Græcæ *Prosodiæ* Scriptores; apud quos, quùm unus simplex *pes*, bis positus, *Compositum pedem* facit, *Syzygia* vocatur. *Pes* ergo pars *Syzygiæ*; *Compositi* verò *pedes* integras *Syzygias* constituunt. Quare, quùm sedecim ex nuper adlatâ Tabulâ *Compositi pedes* sint; hinc totidem numero esse *Syzygias* manifestò liquet. Et quia *Compositus pes*, ut iam innuimus, ex solis *dissyllabis pedibus* coalescit, consequens insuper est, ut in *Syzygiis* spatia *Temporum* à *Tetrachrono* ad *Octachronum*, i. e. à quatuor *Temporibus* ad octo producantur. Ut autem tibi horum *Temporum* ratio pateat, in mentem revoca, *Syllabam Brevem* esse unius *Temporis*, *Longam* verò duorum; atque exinde facili negotio, ex. gr., in *Proceleusmatico pede* πολέμιος, numerabis quatuor *Tempora*; in *Choriambo* σωφροσύνη, sex; in *Dispondæo* συν-δουλεύσω, octo, & sic in reliquis, adeò ut in unaquâque *Syzygiâ* mensuram quatuor *Temporibus* sanè minorem non invenias, octo maiorem non adsequaris. Ex his, quæ hactenus dixi, quid *vox Syzygia* significet, certò constat; quod satis est, ne hoc ipsum Tirones ignorare possint.



CAP.

CAP. III.um

De Versu, Metro, & Rhythmo.

Versus est una integra *pedum* certo aliquo numero, & ordine constructio.

Dicuntur *pedibus* constare *Versus*, quòd *pede* à veteribus in canendo icerentur.

In *Versibus* duo præcipuè observanda. Primum, *Depositio*, vel *Clausula*; alterum, eorum metiendorum actus, quem Grammatici dixere *Scansionem*.

Depositio apud Latinos est *Finis Versûs*, quem Græci dicunt ἀπόθεσιν, vel etiam κατάληξιν, idest, *Terminationem*, *Clausulam* à *Verbo* Græco καταλήγω, quod idem sonat, ac *desino*.

Exinde, quibus Latini carent, enatæ *voces*, nimirum, *Acatalectus*, *Catalectus*, *Brachycatalectus*, *Hypercatalectus*, adeò ut *Versus* plenus, ex. gr. *Dactylicus* integer, *Acatalecti* nomine designetur; *Syllabâ* deficiens, *Catalecti* vocabulo efferatur; orbatus *pede*, *Brachycatalecti* adpellatione monstretur; ac *pede* vel *Syllabâ* superabundans, *Hypercatalecti* cognomine manifestetur.

Illud autem heic omittendum non est, quod omnis cuiuscunque tandem generis *Versus* sit, ne excepto quidem *Hexametro*, & *Pentametro*, ut ex *Theocriti* liquet Epigrammate, cuius titulus Σύριγξ, *Syllabâ* vel *pede* abundare, Poëtarum arbitrio, vel carere poterit.

Ratio metiendi *Versus* in eò consistit, ut *Versus* quilibet rectè distinguatur, & dividatur in singulos *pedes*, quibus constat. Hanc mensuram Latini, ut iam præmonui, adpositè dixere *Scansionem*, quod *Versus* per *pedes*, veluti per quosdam gradus adscendat, aut *scandat*, do-

nec ad complementum adveniat; Græci verò nuncuparunt Α῎ρσιν, ſcilicet, *Sublationem*, & Θέσιν, nempè, *Poſitionem*.

Verſus dupliciter ſcandi moris eſt, per *Monopodiam* ſcilicet, & per *Dipodiam*. Scanduntur per *Monopodiam*, quùm uno tantum *pede*, ut in *Dactylicis*; per *Dipodiam* verò, quùm duobus *pedibus*, ſive integrâ *Syzygiá*, ut in reliquis, unaquæque Menſura completur. Exemplis firmatam utranque dimenſionem adpoſitæ in ſequentibus *Verſibus* lineolæ exhibeant, ut inde res manifeſtior fiat, neceſſe eſt.

Α῾δύ τι — τὸ ψιθύ — ρισμα (α) καὶ — ἁ πίτυς — αἰπόλε — τήνα.
Δόξη δὲ μὴ — δρᾶν ταῦτα τῶ — κεκτημένῳ.

Verſus prior ex *Theocriti Idyll. I.mo Hexameter* eſt, in quo dimenſio procedit per ſingulos *pedes*, ſive per *Monopodiam*; alter verò ex *Ariſtophanis Pl. Act. I.mi Scen. I.ma Iambicus Senarius Acatalecticus*, in quo dimenſio procedit per duos ſimul ſumtos *pedes*, ſive per *Dipodiam*. Atque hæc de *Scanſione* ſatis.

Sed præter *Depoſitionem*, & *Scanſionem* alia duo in *Verſibus* occurrunt obſervatu digna, videlicet, *Comma*, & *Colon*.

Itaque pars *Verſûs*, quùm integræ fuerint *Syzygiæ*, ubi *Scanſio* procedit per *Dipodiam*, *Colon* dicitur; quùm imperfectæ, *Comma*. Quare in *Iambico Verſu* ex *Ariſtophane* nuper prolato, Δόξη δὲ μὴ, *Colon* erit; Δόξη δὲ, *Comma*. Si verò ſcandi *Verſus* per *Monopodiam* debeat, pars illius *Colon*, nimirum, adpellabitur *pes* integer ſive *Spondæus*, ſive *Dactylus*; *Comma* vocabitur *Cæſura*, ſeu *pedis* dimi-

(α) In metiendis *Verſibus* Græcis nullas *Vocales*, aut *Diphthongos*, quæ ſcriptæ ſint, è *fine* elidendas eſſe ob alteram *Vocalem* initio *Dictionis* ſequentis poſitam docet hic *Theocriti Verſus*, & *Homeri* alter, quem ſubiicio.

Πέμψαι ἐπ᾽ Α᾽τρείδῃ Α᾽γαμέμνονι οὖλον ὄνειρον. *Il.* β. ν. 6.

Quicquid autem reiici oportuit, id indicat *Apoſtrophus* reiectum eſſe, ut liquet ex proximè excitato *Homeri Verſu*.

midium, ac proinde in *Theocriti Verſu* Ἁδύ τι, erit *Colon*; τὸ, erit *Comma*, quocum duæ *Syllabæ Breves* ψιθύ- ideſt, *Pyrrhichius*, *Dactylum* efficiunt.


Si *Verſus* tandem dimidiatus ſit, dicitur *Hemiſtichium*.

Syllaba igitur, à quâ *pes*; & *pes*, à quo *Syzygia*; & *Syzygia*, à quâ *Comma*; & *Comma*, à quo *Colon*; & *Colon*, à quo *Verſus* naſcitur, aliquando *Metrum* vocatur.

Generaliter verò *Metrum* eſt - *Conceptio certis ac legitimis pedibus expedita*: vel *Compoſitio pedum*, *ordine quodam decurrens*, *modum Poſitionis*, *Sublationiſque conſervans*.

Differt *Metrum* à *Verſu*, quòd *Metrum* eandem *Poſitionem*, & *Sublationem* habet, ideſt, conſtat vel puris *Iambis*, ſive aliis, qui tamen eisdem in ſedibus non varientur, ſed iidem recurrant, ac redeant; *Verſus* eandem *Poſitionem* & *Sublationem* non habet, ideſt, *pedibus* conſtat, qui eisdem in ſedibus variantur. Unde fit, ut *Hexametris*, in quibus *pedes priores* quatuor eſſe poſſunt promiſcuè vel *Dactyli*, vel *Spondæi*, adcuratè loquendo, *Verſûs*; *Iambicis*, verò, qui, ut primitùs, ſolos *Iambos pedes* admittunt, *Metri* nomen unicè conveniat.

Differt *Metrum* à *Rhythmo*, quòd *Metrum* certâ qualitate ac numero *Syllabarum Temporumque* finitur, certiſque *pedibus* conſiſtit ac clauditur; *Rhythmus* autem *Temporum*, *Syllabarum*, *pedumque* congruentia in infinitum multiplicatur ac profluit; nam *Rhythmus* optimè definitur - *Verborum modulata compoſitio*, *non metricâ ratione*, *ſed numero Syllabarum ad iudicium aurium examinata* -; *Metrum* verò eſt ratio cum modulatione, uno verbo *Rhythmus* circa ſonum; *Metrum* circa diviſionem *pedum* verſatur. *Rhythmus* igitur nunquam ſine *Pſalmate* valebit; *Metrum* autem ſine *Pſalmate* prolatum proprietatem ſuam adſervat.



CAP.

CAP. IV.um

De Metrorum Generibus.

PÆnè infinita *Metrorum* genera Græcorum ſolertia excogitavit, ex quibus licitum eſt Poëtæ, quem velit numerum, quod velit genus, pro libito uſurpare. Ad inſtitutum noſtrum quod adtinet, ſatis ſuperque erit, ſi heic Principalia, ad quæ cuncta referri poſſunt, exponantur. Itaque de Principalibus *Metris* acturus, hæc bifariam diſtribuo, in ea, ſcilicet, quæ *Simplicibus pedibus* conſtant; & in ea, quæ ex *Compoſitis* prætexuntur.

Ex *Simplicibus* efformantur,

Dactylicum,
Anapæſticum,
Iambicum,
Trochaicum;

Ex *Compoſitis* exoriuntur,

Ionicum à Maiore,
Ionicum à Minore,
Choriambicum,
Antiſpaſticum ſeu Iambichoreum,
Pæonicum.

Cetera ex his, quæ mutilata per *Cola*, & *Commata*, aut paribus agglutinantur ſibi, aut ſola ponuntur, ortum ducunt, & ſumunt nomina

Ab Inventoribus, ut, *Phalæcium*, *Sotadicum*;
Ab his, qui maximè frequentarunt, ut, *Ariſtophanicum*, *Aſclepiadeum*;
Ab uſu, ut, *Priapeium*, *Elegiacum*;
A paſſione, ut, *Scazon*, *Penthemimerum*;

A coniu-

A' coniugatione ſimilium, ut, *Periodicum*;
A' certâ mixturâ diverſorum *pedum*, ut, *Proſodiacum*;
A' numero *pedum*, ut, *Hexametrum*, *Senarium*;
A' numero *Syzygiarum*, ut, *Monometrum*, *Dimetrum*, *Trimetrum*;
A' *pedibus*, ut, *Dactylicum*, *Iambicum*;
A' numero *Syllabarum*, ut, *Hendecaſyllabum*;
A' Quantitate continuâ, ut, *Longum*;
A' Qualitate, ut, *Quadratum*;
A' Gente, ut, *Ionicum*;
A' Societate, ut, *Lyricum*.

Innumera tandem ſunt alia *Metrorum* genera, quæ ab irregulari mixturâ *pedum* nuncupantur *Aſynarteta*, ideſt, *Inconnectibilia*, de quibus proloquar ſuo loco.

De Carmine Dactylico.

Dactylicum Carmen, quod etiam *Hexametrum*, *Heroicum*, *Epicum*, *Delphicum*, & *Theologicum* appellatur, ſex habet regiones, quarum *priores* quatuor pro Vatis arbitrio recipere poſſunt *Spondæum*, vel *Dactylum*; quinta neceſſariò poſtulat *Dactylum*; ſexta *Spondæum*. Hæc *Dactylici Carminis* in univerſum lex eſt, à quâ nec *Homero* licuit recedere, niſi fortè, quùm rei dicendæ natura id advocaſſet, ut in ſequenti *Verſu*, qui eſt *Iliad.* γ', 357.

Διὰ μὲν ἀσπίδος ἦλθε φαεινῆς ὄμβριμον ἔγχος,

quem eximius Poeta, ut rapidiſſimum haſtæ tranſitum depingeret, à *Brevibus* ſtatim exorſus eſt *Syllabis* tribus; & in hoc, qui eſt *Odyſſ.* γ', 114,

Πάντα γε μυθήσαιτο κατὰ θνητῶν ἀνθρώπων,

quem, ut ſummo ibi artificio miram gravitatem exprimeret, idem ipſe Vates excellentiſſimus, tribus *Spondæis* expedivit.

Ceterùm in hâc *Carminis* ſpecie locum non habet *Ana-*

CAP. IV.um

De Metrorum Generibus.

PÆnè infinita *Metrorum* genera Græcorum folertia excogitavit, ex quibus licitum eſt Poëtæ, quem velit numerum, quod velit genus, pro libito uſurpare. Ad inſtitutum noſtrum quod adtinet, ſatis ſuperque erit, ſi heic Principalia, ad quæ cuncta referri poſſunt, exponantur. Itaque de Principalibus *Metris* acturus, hæc bifariam diſtribuo, in ea, ſcilicet, quæ *Simplicibus pedibus* conſtant; & in ea, quæ ex *Compoſitis* prætexuntur.

Ex *Simplicibus* efformantur,
Dactylicum,
Anapæſticum,
Iambicum,
Trochaicum;
Ex *Compoſitis* exoriuntur,
Ionicum à Maiore,
Ionicum à Minore,
Choriambicum,
Antiſpaſticum ſeu Iambichoreum;
Pæonicum.

Cetera ex his, quæ mutilata per *Cola*, & *Commata*, aut paribus agglutinantur ſibi, aut ſola ponuntur, ortum ducunt, & ſumunt nomina

Ab Inventoribus, ut, *Phalæcium*, *Sotadicum*;
Ab his, qui maximè frequentarunt, ut, *Ariſtophanicum*, *Aſclepiadeum*;
Ab uſu, ut, *Priapeum*, *Elegiacum*;
A paſſione, ut, *Scazon*, *Penthemimerum*;

A coniu-

A' coniugatione similium, ut, *Periodicum*;
A' certâ mixturâ diversorum *pedum*, ut, *Prosodiacum*;
A' numero *pedum*, ut, *Hexametrum*, *Senarium*;
A' numero *Syzygiarum*, ut, *Monometrum*, *Dimetrum*, *Trimetrum*;
A' *pedibus*, ut, *Dactylicum*, *Iambicum*;
A' numero *Syllabarum*, ut, *Hendecasyllabum*;
A' Quantitate continuâ, ut, *Longum*;
A' Qualitate, ut, *Quadratum*;
A' Gente, ut, *Ionicum*;
A' Societate, ut, *Lyricum*.

Innumera tandem sunt alia *Metrorum* genera, quæ ab irregulari mixturâ *pedum* nuncupantur *Asynarteta*, idest, *Inconnectibilia*, de quibus proloquar suo loco.

De Carmine Dactylico.

Dactylicum *Carmen*, quod etiam *Hexametrum*, *Heroicum*, *Epicum*, *Delphicum*, & *Theologicum* adpellatur, sex habet regiones, quarum *priores* quatuor pro Vatis arbitrio recipere possunt *Spondæum*, vel *Dactylum*; quinta necessariò postulat *Dactylum*; sexta *Spondæum*. Hæc *Dactylici Carminis* in universum lex est, à quâ nec *Homero* licuit recedere, nisi fortè, quùm rei dicendæ natura id advocasset, ut in sequenti *Versu*, qui est *Iliad.* γ, 357.

Διὰ μὲν ἀσπίδος ἦλθε φαεινῆς ὄμβριμον ἔγχος,

quem eximius Poeta, ut rapidissimum hastæ transitum depingeret, à *Brevibus* statim exorsus est *Syllabis* tribus; & in hoc, qui est *Odyss.* γ, 114,

Πάντα γε μυθήσαιτο κατὰ θνητῶν ἀνθρώπων,

quem, ut summo ibi artificio miram gravitatem exprimeret, idem ipse Vates excellentissimus, tribus *Spondæis* expedivit.

Ceterùm in hâc *Carminis* specie locum non habet *Ana-*

Anapæstus pro *Dactylo*, vel *Spondæo*, contra quod *Vir Cl.* docuit *Jos. Barnesius* ad hæc *Homeri* loca,

Βορέης κ̀ Ζέφυρος - - - - - - - - - *Il.* ί, *v.* 5;
Ι'έρευον δὲ σύας - - - - - - - - - *Odyss.* ῥ, *v.* 181;
Νέα μέν μοι κατέαξε - - - - - - - - *Odyss.* ί, *v.* 28;
Α''υτως ἀποπέμψει - - - - - - - - *Odyss.* ί, *v.* 83;

nam *voces* Βορέης, Ι'έρευον, & Νέα pronuntiandas esse æquè, ac si scriptæ fuissent Βόῤῥης, Ι''ρευον, & Νᾶ; & in *ultimo Versu* aliquid mendosi latere, satis liquet; uti & nos videbimus in sequentibus.

Sed neque *Amphimacer* in isto *Carmine* ferri potest; ac proinde in *Versu*, qui est *Odyss.* δ', 246,

Πλείονες κεν μνηςῆρες ἐν ὑμετέροισι δόμοισι,

vox πλείονες pronuntianda πλεῦνες, ut constat ex *Præcep. V. sect. II.da*

Neque *Amphibrachys*; nam ad *Versum Odyss.* δ, *v.* 90;

Ε''ως ἐγὼ περὶ κεῖνα πολὺν βίοτον συναγείρων &c.

legendum -- Ω''σε ἐγὼ &c. adnotante *Clarkio*; quod & firmatur ex *Odyss.* έ, *v.* 123;

Ε'ως μιν ἐν Ο'ρτυγίῃ χρυσόθρονος Α''ρτεμις ἁγνὴ;

ubi pronuntiandum -- Ω'ς μιν ἐν Ο'ρτυγίῃ &c.

Quùm igitur *Hexametrum Carmen Spondæis* & *Dactylis* constet, exinde fit, ut nobilissimum & plenissimum evadat, quia *Dactyli* & *Spondæi* sunt æquales tum numero *Temporum*, tum etiam percussione; uterque enim quatuor habet *Tempora*; uterque etiam æqualiter in duo & duo *Tempora* discinditur.

EXEMPLA.

Hoc esto specimen *Carminis Dactylici Acatalectici*;

Αὐτὰρ ἐ–πεὶ κόσ–μηθεν ἅμ'–ἡγεμό–νεσσιν ἕ–κασοι. *Il.* γ', *v.* 1.

In *primoribus* quatuor *regionibus pedum* mixtura, qualis est in prolato *Carmine*, sanè non displicet; at ubi non adsit, ea ferè magis præstant *Carmina*, quæ *Dactylis*, quàm quæ *Spondæis* coalescunt, veluti:

Τὰν

Τῶν ἀμό — θενγε θε — ἀ θύγα — τερ Διὸς — εἰπὲ ϰ̀ — ἡμῖν. Hom. Odyſſ. ά, v. 10.

Maioris tamen in pangendis *Carminibus* erit artificii, *Verſûs* numeros, verborumque ipſorum ſonum ad rei dicendæ naturam, quaſi ζωγραφικῶς ἐκτετυπωμένην, exigere. Sic *Homerus Iliad.* ψ, curſûs celeritatem aptiſſimè depingere volens, fecit, ut *Verſus* 763, 764, 765, unuſquiſque per ſe *pedibus Dactylicis* incederet,

Στήθεος· ὡς Ὀδυσεὺς θέεν ἐγγύθεν· αὐτὰρ ὄπισθεν
Ἴχνια τύπτε πόδεσσι, πάρος κόνιν ἀμφιχυθῆναι.
Κὰδ δ' ἄρα οἱ κεφαλῆς χέ' ἀϋτμένα δῖος Ὀδυσσεύς.

Pulcrè etiam & artificioſè lapidis pondere ſuo de monte devoluti impetum, hoc ex *Dactylicis pedibus* compacto *Verſu*, idem *Homerus* exprimit:

Αὖτις ἔπειτα πέδονδε κυλίνδετο λᾶας ἀναιδής. Odyſſ. λ, v. 597.

Idemque celeritatem & agilitatem progredientis optimè depingit, & quaſi ob oculos ponit, ſic:

Κραιπνὰ ποσὶ προβιβάς· κακὰ δὲ μνηστῆρσι φύτευεν. Odyſſ. ῥ, v. 27.

Alios tandem ex eodem Vate *Verſuum* numeros rem ipſam depingentes, ne ſim æquo prolixior, videat, ſi velit, Lector ad *Odyſſ. δ'*, v. 114; - λ', v. 585; - σ', v. 95; - τ', v. 231; -- χ, v. 473; atque tum ex iſtis, tum ex aliis permultis, quæ prætereo, locis colligat, *Carminum* artificio ſapientiſſimum *Homerum* Græcos omnes Poëtas antevertiſſe.

Dactylicum, ut ſuave, concinnum, & iucundum evadat, *pedes* diſſolutos non amat.

Ex profanis tandem Scriptoribus hoc *Metri* genus celebrarunt *Homerus*, *Heſiodus*, *Theocritus*, *Coluthus*, *Callimachus*, *Tryphiodorus*, *Orpheus*, *Oppianus*, *Muſæus*, *Dionyſius*, *Aratus*, aliique; è ſacris *Gregorius Nazianzenus*, *Apollinaris Alexandrinus*, *Nonnus Panopolites*, *Paulus Dolſcius*, *Iacobus Duportus*, *Dionyſius Petavius* &c.

Sequitur *Dactylicum Catalecticum*, cui deeſt una in *fine Syllaba*. Huius formam exhibet *Theocritus* in *Idyll.* XXXII; cui nomen Σύριγξ.

Οὐχὶ κε – ῥάςαν – ὅν ποτε – θρέψατο – ταυροτά – ταρ – ;

Verùm id genus *Carminum* parum, quod ſciam, uſitatum eſt apud Græcos Poëtas. Quare de eo amplius loqui non ſuſtineo.

Poſt hoc, habetur *Dactylicum Acatalecticum*, ſive *Verſus Pentameter* integer, non tamen, ſicut *Pentameter Elegiacus*, de quo infra, ſed, ut *Hexameter Dactylicus*, cui deſunt duæ *Longæ Syllabæ*: hoc eſt, ut *Verſus Hexameter* tantum quinque *pedes* habeat regulariter. Exemplum huius *Carminis* confeſtim adfert *Theocritus* in paullò ante laudato *Idyll.*, & eſt,

Οὔ ʼνομ' ὅ – λαν δίζ – ων ὃς – τᾶς μέρο – πος πόθον – . . . . –.

Idem *Theocritus* in proximè excit. *Idyll.* nobis exempla ſuppeditat, &

Pentametri Dactylici Catalectici, ideſt, in *fine* deficientis *Syllabâ Longâ*, vel *Brevibus* duabus; cuiuſmodi eſt,

Ὅς μοί – σα λιγὺ – πᾶξεν ἑ – οςεφά – νω . . – . &

Tetrametri Dactylici Acatalectici, hoc eſt, integri; cui in *fine* neque quicquam deeſt, neque ſuperabundat quicquam, ita,

Παπποφί – νε Τυρί – ας τε ἀ – φείλετο – ; &

Tetrametri Dactylici Catalectici, unâ *Syllabâ*, ſive duobus *Temporibus* brevioris proximo, ſcilicet,

Πάμα Πα – ρὶς θέτο – Σιμιχί – δας . . . . – – ; &

Trimetri Dactylici Acatalectici, nimirum,

Ψυχάν. – ὦ βροτο – βάμων – ; &

Trimetri Dactylici Catalectici, cui una *Longa Syllaba*, vel *Breves* duæ in *fine* præciſæ ſunt, ita ſe habentis,

Στήσας – οἶςρε δέ – τας . . . . – ; &

Dimetri Dactylici Acatalectici, ſive *Adonici* (ita dicti, quod veteres eo in feſtis *Adonidis* utebantur); nam *Adonici Carminis Scanſio* eadem eſt cum *Scanſione Dimetri Dactylici Acatalectici*, ſic:

Ἀ'δὺ με – λίσδεις – ; & tandem

Dimetri Dactylici Catalectici, à quo una *Longa Syllaba*, vel

vel duæ *Breves* in *fine* ademtæ sunt ; hoc modo,

Καλλιϐ – πᾳ –.

Quâ *voce*, quùm *Theocritus Carmen Dactylicum* in angustissimos contraxerit numeros, neque amplius, quò progrederetur, habuerit, finem suæ fistulæ imposuit.

Versus Pentameter, qui & *Elegiacus* adpellatur, dividitur in duo *hemistichia*, quorum *prius* in duabus *regionibus* admittit & recipit pro Vatis arbitrio vel duos *Spondæos*, vel duos *Dactylos*, vel *Spondæum*, & *Dactylum*, vel *Dactylum* & *Spondæum*, & post ipsos *Syllabam Longam*; *posterius* verò duos necessariò exigit *Dactylos*, & *Syllabam* similiter post ipsos *Longam*, ut liquet ex subiectis exemplis;

Παῦροί – τοι πολ – λῶν – πιςὸν ἔ – χυσι νό – ον –. *Theogn. γνώ. ἐλ. v.* 74.

Τῦ μὲν ἐπ - ερχομέ - νυ -, τῆς δ' ἀπα – νιςαμέ – νης -. *Theogn. Ibid. v.* 528.

Χειμάῤ - ῥῳ - ποτα - μῷ - πάντ' ἀπο – σεισάμε – νος –. *Theogn. Ibid. v.* 348.

Οὔτε γὰρ – εὖ ἕρ – δων – ἁνδάνω – ὔτε κα – κῶς –. *Theogn. Ibid. v.* 368.

Celebrarunt hoc *Carmen* inprimis *Theognis*, *Callimachus*, *Tyrtæus*, & alii quamplures, quorum nomina in *Veterum Poëtarum Grecorum Collectionibus* descripta sunt.



De Carmine Anapæstico.

Carmen Anapæsticum magno est in usu apud *Tragoediæ* Scriptores, præsertim *Sophoclem*, atque *Euripidem*. Inter hæc *Carmina*, ea, quæ *pedes* habent dissolutos ita, ut singuli *pedes*, singulis *vocibus* constent, summoperè commendantur.

Carmen Anapæsticum quatuor recipit *pedes* pro libito in quâvis sede collocatos, videlicet,

ℂ *Anapæſtum*;	ℂ *Spondæum*;
ℂ *Dactylum*,	ℂ *Proceleuſmaticum*.

Quilibet eorum quatuor involvit *Tempora*, & æqualiter in duo, & duo dividitur.

Notandum inſuper, quod *Proceleuſmatico* rariſſimè data porta eſt in hoc *Metri* genere. Duo tantum mihi ſubcurrunt exempla *Carminis Anapæſtici*, in quo *pes Proceleuſmaticus* obvius, quorum unum huc ſtatim conveho, alterum infra adferam ſuo loco.

Ὁ μὲν οἰχόμενος — φυγὰς, ὅδε νέκυς ὤν —. Eur. in Or. v. 1509; ubi *voces φυγὰς ὅδε pedem* efficiunt *Anapæſticum*, cuius *ultima Longa Syllaba* ſoluta eſt in duas *Breves ὅδε*, ex quo fit *Proceleuſmaticus*.

Ex *Dimetris* verò *Anapæſticum* Syſtema ferè univerſum conflatur; aliquando etiam ex *Monometris*, & *Tetrametris* conſtat, ut mox videbimus.

Ad *Scanſionem* verò quod adtinet, monent nonnulli *Proſodiæ* Scriptores, eum errare errorem non ferendum, qui per *μονομέτριαν* binos *pedes* comprehendendo, *Carmina* metitur *Anapæſtica*, docentque, eundem modum, qualis adhiberi in metiendis *Carminibus Dactylicis* debet, adſervandum; neque id omninò improbare poſſum; cedo tamen legi, quam refert *Scholiaſtes* ad *Hephæſt.* pag. 91; - *τὸ δὲ Ἀναπαιστικὸν κατὰ διποδίαν μὲν βαίνεται — κ. τ. λ*; unde *Dipodiam* libentiùs ſequor, & complector.

Notandum tandem, *Carmina Anapæſtica*, quæ ex ſolis *Anapæſtis* conſtant, vulgò dici *Pura*; ea verò, quæ ex aliis etiam *pedibus* coagmentantur, *Impura* adpellari conſueviſſe.

EXEMPLA.

Carmen Anapæſticum, *Monometrum*, *Acatalectum*, quod & *Iſimium*, teſtante *Scaligero Poëtic. Lib. II. cap.* 12; vocitatur;

Τινὰ Τρωϊάδων. Eur. in Hec. v. 94;

ibi

ibi *Anapæſti pedes* duo, quorum *prior* τινὰ Τρω-, *alter* ἰδὼν.

Carmen Anapæſticum, *Monometrum*, *Hypercatalectum*, ſive *Penthemimerum*, aliàs *Semiquinarium*, ita dictum à *Cæſurâ*, quæ occurrit poſt duos *pedes*, & *Verſum* claudit;

Δορὶ δὴ δορὶ πέρ — σαν. *Eur. in Hec. v.* 908;

cuius duo *priores pedes* ſunt *Anapæſti*, quos ſubinde ſequitur *Cæſura*.

Notabis, hoc *Carmen* etiam dici ſolitum *Choricum Steſichorium*.

Carmen Anapæſticum, *Dimetrum*, *Acatalectum*, à *Scaligero* vocatum *Archilochium*;

Ξυνετὸς πολέμυ, — φόνιός τε δράκων. *Eur. in Or. v.* 1415;

ibi *Dipodia prior* continet duos *Anapæſtos*, *ſecunda* item duos *Anapæſtos* complectitur.

Carmen Anapæſticum, *Dimetrum*, *Hypercatalectum*, à *Scaligero Partheniacum*, à *Simmiâ* Poëta Rhodio *Simmiacum* adpellatum;

Α'ετὸς Διὸς αἰ-θερίυ φίλε χαῖ-ρε. *Scalig. Poëtic. Lib. II. cap.* 12.

In *priore Dipodiâ* duo adſunt *pedes Anapæſti*, in *alterâ* alii item duo, & deinde *Cæſura*.

Aliud;

Οὔθ' ὁ παρὰ τὸν ἀχέ-ροντα θεὸς ἀνάσ-σων. *Soph. in El. v.* 184;

In hoc *Verſu Dipodia prior* conſtat ex *Dactylo*, & *Proceleuſmatico*; *altera* ex *Dactylo* & *Anapæſto*, & poſtea ſequitur *Cæſura*.

Aliud à *Scaligero Pindaricum* nuncupatum;

Θαμὰ βοτρυοέν — τα Διώνυσον ἄ — δομεν. *Scalig. Ibid*;

In utrâque *Dipodiâ* duo habentur *Anapæſti*, deinde ſuperabundant *Syllabæ* duæ, quibuſcum efficitur *Pyrrhichius*, aut meliùs *Iambus*, propter *ultimam Verſûs Syllabam*, quæ neceſſariò *Longa* (α) eſt, nimirum, *pes*, qui quùm locum

non

(α) Quâ ratione *Syllaba ultima* cuiuſcunque *verſûs Longa* ſit, vidêbis infra in *Sectione Tertiâ*, *Cap. II.* Ubi de *Licentiâ*, quam adpellant, *Poeticâ* &c.

non habeat in hoc *Metri* genere, idcirco iſtud *Carmen* haud ſecus ac duo præcedentia erit *Anapæſticum*, *Dimetrum*, *Hypercatalectum*.

Carmen Anapæſticum, *Dimetrum*, *Catalectum*, *Purum*, aliàs *Paroemiacum*, ſive *Hepthemimerum*, ideſt, *Semiſeptenarium*, ita dictum à *Cæſurâ*, quæ poſt *pedes* tres occurrit & claudit *Verſum*, à *Scaligero Pindaricum* nuncupatum;

Ο᾽δὲ παῖς Στροφίου — κακομήτας. *Eur. in Or. v.* 1412.

Dipodia prior integra continet duos *Anapæſtos*; *altera* incompleta *Anapæſtum*, & poſt ipſum, *Syllabam*.

Aliud *Anapæſticum Dimetrum*, *Catalectum*, *Impurum*;

Δοριθήρατος — πρὸς Α᾽χαιῶν. *Eur. in Hec. v.* 102;

huius *Dimenſio prior* continet *Anapæſtum*, & *Spondæum*; *altera Anapæſtum*, & *Longam Syllabam*, quæ redundat.

Carmen Anapæſticum, *Dimetrum*, *Catalectum*, *Purum*, à *Scaligero* dictum *Alcmanium*;

Ποτὶν ἐξανύσαι — μι δι᾽ αἰθέρος. *Eur. in Phoen. v.* 168;

Dipodiam integram huius *Verſiculi* occupant *Anapæſti* duo, mancam alteram *Anapæſtus*, & poſtea ſuperabundant duæ dumtaxat *Syllabæ*.

Aliud Impurum;

Θάρσει μοι, θάρ — σει τέκνον. *Soph. in El. v.* 172.

Dimenſio integra duos præfert *Spondæos*; altera incompleta *Spondæum*, & *Syllabam* ſuperſtitem.

Carmen Anapæſticum, *Dimetrum*, *Brachycatalectum*; aliàs *Glyconium*, & *Ariſtophanium*;

Ε῾κάτα κατάχαλ — κον ἄπαν. *Eur. in Phoen. v.* 110.

Dipodia integra conſtat ex duobus *Anapæſtis*; manca verò ex uno tantum, & nihil ſuperabundat.

Carmen Anapæſticum, *Trimetrum*, *Acatalectum*; aliàs *Simonidium*, à *Scaligero Alcmanium Tertium* adpellatum;

Παταγεῖτε πόδες — λυρόεσσα λάλει — Διὸς ὦ θύγατερ. *Scalig. Ibid.*

Una-

Unaquæque *Dimensio* constat ex duobus *Anapæstis*.

Carmen Anapæsticum, *Trimetrum*, *Catalectum* in *Syllabam*, *Stesichorium* aliud;

Α'νάπαισε χορῶν – τέκος ὄλβιε δὸς – κτύπον ἡδύν. *Scalig. Ibid.*
Tum in *primâ*, tum in *secundâ* huius *Carminis Dimensione* deprehenduntur *Anapæsti* duo, in tertiâ unus dumtaxat, & *Syllaba* redundans.

Aliud dictum à *Scaligero Simonidium*;

Δότε Πιερίδες – Λυρικῶν μελέων – μαλερὸν ψόφον. *Scalig. Ibid.*
Dipodia prior duos habet *Anapæstos*, *altera* item duos *Anapæstos* recipit; sed in *tertiâ*, post unum *Anapæstum*, remanent *Syllabæ* duæ, quæ *pedem* efficiunt *Carmini Anapæstico* non adsignatum.

Carmen Anapæsticum, *Tetrametrum*, *Catalectum* in *Syllabam*, aliàs *Aristophanium*;

Ηʺ γῆς ἀρότροις – ῥήξας δάπεδον – καρπὸν Δηῦς – θερίσασθαι; *Ar. in Pl. v.* 497.
Ibi *Dipodia prior* constat ex *Spondæo*, & *Anapæsto*, *altera* ex *Spondæo* item & *Anapæsto*, *tertia* ex duobus *Spondæis*, *quarta* ex *Anapæsto*, & redundat *Syllaba*.

Atque hic sistit *Carmen Anapæsticum*, nec ultra, quod sciam, progreditur.



De Carmine Iambico.

IAmbicum Carmen Iambos solos principio admisit; verùm, quùm eiusdem *pedis* recursus auribus esset ingratus, tractu temporis *Spondæos* etiam, aliosque in posterum recepit *pedes* (a), qui tamen eadem cum *Spondæis* &

(a) Hunc morem Poëtis Tragicis acceptum refero. Hi enim, ni fallor, *Carmen Iambicum Purum* nimis arctis constrictum regulis quùm esset, & haud multa satis verba admitteret, angustos sibi limites laxarunt, & alios hinc inde *pedes* in locis præsertim imparibus admiscendos certis rationibus duxerunt.

& *Iambis* involvunt *Tempora*. *Pedes* autem, quibus in *Carmine Iambico* aditus ſubinde patere coepit, ſunt, *Anapæſtus*, qui fit ex *primâ Spondæi Syllabâ* in duas *Breves* ſolutâ; *Dactylus*, qui ex *ultimâ Spondæi Syllabâ* ſolutâ item in duas *Breves* conflatur; & *Tribrachys*, qui eſt *Iambi* ſolutio. Hinc ad *Iambicum Carmen* efformandum concurrere poſſunt

in locis imparibus, ſive ſiniſtris, ideſt, in *primo*, *tertio*, *quinto* &c.	*Iambus*, *Spondæus*, *Tribrachys*, *Dactylus*, *Anapæſtus*.
In paribus verò, ſive dextris, ideſt, in *ſecundo*, *quarto*, *ſexto* &c.	*Iambus*, vel *Tribrachys*; *Iambus*, vel *Pyrrhichius* ob indifferentem *Syllabam*.

Hæc omnia liquida ſunt, & plana apud *Sophoclem*, *Ariſtophanem*, atque *Euripidem*. Obſervantior tamen *Sophocles*: *Euripides* & *Ariſtophanes* minus obnoxii; minus enim uterque parcit illis ſedibus; nam hic etiam ſedibus paribus *Anapæſtum* ritè collocat in *Pluto*,

Ω῾ς ἀργαλέον — πρᾶγμ᾽ ἐςὶν, ὦ — ζεῦ ϗ θεοί. *v.* 1.

Et bis in eodem *Verſu*,

Οἱ δ᾽ ἐξετρέπον — το κὐκ ἐδόκυν — ὁρᾶν μ᾽ ἔτι. *Ibid. Act. IV. Scen. II. v.* 15.

Ille verò in *Oreſte*,

Αὐτυργὸς· οἵ — περ ϗ μόνοι — σώζυσι πόλιν. *v.* 946.

Iambicum Syſtema ferè ex *Trimetris Acatalectis* conſtat, ſed & alii ſunt, de quibus infra. A' brevioribus interea initium facio, exempla quandoquidem mihi in promtu ſunt.

Car-

Carmen Iambicum, *Monometrum*, *Brachycatalectum*;
Τί γὰρ ὦ; *Eur. in Orest. v.* 1606;
ibi *pes* deest, ut compleatur *Dipodia*; nam verba - τί γὰρ ὦ; *pedem Anapæsticum* efformant.
Carmen Iambicum, *Monometrum*, *Catalectum*;
Ἔχεις με. *Eur. in Orest. v.* 1622;
ibi habes *Iambum*, & *Syllabam* superstitem *Brevem*, cui si *Longa* accedat *Syllaba* una, vel duæ *Breves*, *Dipodia* integra & plena efficitur, quæ constabit ex duobus *Iambis*, vel ex *Iambo* & *Tribraco*.
Carmen Iambicum, *Monometrum*, *Acatalectum*;
Ἰὼ τάλας. *Eur. in Hec. v.* 1074;
ibi duo sunt *Iambi*, qui *Dipodiam* constituunt integram.
Aliud;
Ψεύδης ἔφυς. *Eur. in Orest. v.* 1610.
Hæc *Dipodia* ex *Spondæo*, & *Iambo* coalescit. Et sic commensuratio uniuscuiusque *Dipodiæ* variari potest iuxta diversos *pedes*, qui locum in hoc *Metri* genere habere possunt, ut modò innuebam.
Carmen Iambicum, *Monometrum*, *Hypercatalectum*; sive *Penthemimerum*;
Ὅσον τάχις - α. *Soph. in El. v.* 1458.
Integra *Dipodia* duos habet *Iambos*, & deinde superest *Syllaba*.
Aliud;
Ἄχεσι συνῳ - δός. *Eur. in Ph. v.* 1533.
Integra *Dipodia* ex *Tribraco*, & *Iambo* coalescit, remanente deinde *Syllabâ*.
Carmen Iambicum, *Dimetrum*, *Brachycatalectum*, aliàs *Euripideum*, *Eupolidium*.
Τέκνων ἐμῶν - φύλαξ. *Eur. in Hec. v.* 1087.
Dipodia integra constat ex *Spondæo*, & *Iambo*; manca verò unum dumtaxat *Iambum* præfert; quare illi, ut compleatur, alter *Iambus*, seu *Tribrachys*, vel *Pyrrhichius* deest.

Carmen Iambicum, *Dimetrum*, *Catalectum*, *Hepthemimerum*;

Προσεῖπε δ' ἄλ – λος ἄλλον. *Eur. in Orest. v.* 1428. *Dipodia prior* habet duos *Iambos*; *altera Iambum*, & *Syllabam* superstitem.

Carmen Iambicum, *Dimetrum*, *Acatalectum*, aliàs *Archilochium*, & *Aristophanium*;

Δι' ἀσπίδων, – δι' αἱμάτων –. *Eur. in Phoen. v.* 1311; ibi *Dipodia prior* duos continet *Iambos*; *altera* item duobus *Iambis* absolvitur.

Aliud;

Ἐγὼ δὲ πλόκα – μον ἀναδέτοις. *Eur. in Hec. v.* 922. In hoc *Versu Dipodia prior Iambum*, & *Tribrachyn* præfert; *secunda Tribrachyn*, & *Iambum*.

Carmen Iambicum, *Dimetrum*, *Hypercatalectum*, aliàs *Alcaicum*, & *Alcmanium*;

Γυναικὸς ἀν – τίοι σταθέν – τες. *Eur. in Or. v.* 1469; ibi tum *prima*, tum *secunda Dipodia* duos *Iambos* exhibet, & postea remanet *Syllaba*.

Aliud;

Ὁ Φρύγιος, ἢ – τρικόρυθος Αἴ – ας. *Eur. in Or. v.* 1482. In *priori Dipodiâ Tribrachys* extat, & *Iambus*; in *alterâ Tribrachys* similiter, & *Iambus*; & deinde *Syllaba* superabundat.

Carmen Iambicum, *Trimetrum*, *Brachycatalectum*, aliàs *Alcmanium*;

Μετέβαλεν ἅρ – μα, τὰν πρὸς ἕσ – περον. *Eur. in Or. v.* 1029. *Dipodia prior* effert *Tribrachyn* & *Iambum*; *secunda* duos *Iambos*, & postea remanent *Syllabæ* duæ. Notandum tamen, quod aliquando hoc in *Versu Syllabæ* tres superabundant, quæ vel singulæ *Breves* sunt, vel duæ *Breves*, & una *Longa*, quibuscum efficitur vel *Tribrachys*, vel *Anapæstus*.

Carmen Iambicum, *Trimetrum*, *Catalectum*, aliàs *Hipponacteum*; Ἔχων

Ε'χων ἐμ' ὥς — τε ναυσίπομπ -- ον αὔραν. *Eur. in Ph. v.* 1706.

Dipodia prior habet duos *Iambos*; *altera* continet similiter *Iambos* duos; *tertia Iambum*; & deinde remanet *Syllaba*.

Carmen Iambicum, *Trimetrum*, *Acatalectum*, aliàs *Archilochium*;

Τὰ λοιπὰ νῦν -- ἀκύσαϑ' οἷ -- α χρὴ πάϑη. *Aesch. Pr. v.* 677.

Unaquæque *Dipodia* binos exhibet *Iambos*.

Aliud;

Συλλάβεϑ' ὅμη -- ον τήνδ', ὅταν -- ϛείχῃ πάλιν. *Eur. in Or. v.* 1194.

Dipodia prior præfert *Dactylum* & *Iambum*; *secunda Spondæum* & *Iambum*; *tertia* item *Spondæum* & *Iambum*.

Carmen Iambicum, *Trimetrum*, *Hypercatalectum*, aliàs *Hipponacteum*;

Α'ρης ἐν οἴν -- ῳ φλογερὸς, ἐν -- λόγοις Ε'ριννν -- ύς. *Scalig. Poët. lib. II.*

Priorem Dipodiam efformat *Spondæus* & *Iambus*; *secundam Dactylus* & *Iambus*; *tertiam* duo *Iambi*, & superabundat *Syllaba*.

Carmen Iambicum, *Tetrametrum*, *Brachycatalectum*; aliàs *Aristophanium*;

Γέλως πονῦν -- τι φάρμακον — μέγιϛον ἐν -- βίῳ. *Scalig. ibid.*

Unaquæque *Dipodia* binos comprehendit *Iambos*, & *pes* etiam superabundans *Iambus* est.

Carmen Iambicum, *Tetrametrum*, *Catalectum*, aliàs *Anacreonticum*, *Hipponacteum*;

Τῇ χρυσοπέπλ -- ῳ Μοῖσα χρυσ -- ὸν ὕμνον ᾆδ' -- ε κώρᾳ. *Scalig. ibid.*

Prior Dipodia constat ex *Spondæo* & *Iambo*; *secunda* similiter ex *Spondæo* & *Iambo*; *tertia* quoque ex *Spondæo*

& *Iambo; quarta* denique ex *Iambo* & *Syllabâ*, quæ ſupereſt, *Longâ*.

Carmen Iambicum, Tetrametrum, Acatalectum, aliàs *Archilochium*;

Δέξαι με κω -- μάζοντα δέξ -- αι λίσσομαί -- σε λίσσομαι.
Scalig. ibid.

Dipodia prior effert *Spondæum* & *Iambum*; *ſecunda* ſimiliter *Spondæum* & *Iambum*; *tertia* quoque *Spondæum* & *Iambum*; *quarta* duos *Iambos*.

Carmen Iambicum, Tetrametrum, Hypercatalectum, aliàs *Anacreonticum*;

Ἔρως ἰαίν-ει γαργαλίζ-ων σπλάγχνα δᾳδ'-έχων γαλήν-ην.
Scalig. ibid.

Dipodia prior duobus *Iambis* abſolvitur; *ſecunda* duobus *Spondæis*; *tertia Spondæo* & *Iambo*; *quarta* duobus *Iambis*; & remanet in fine *Syllaba*.

Profectò hâc *Verſûs* formâ Divinus *Scaliger* mirum in modum iuvavit *Anacreontem*, qui auſus eſt excedere legem *Octonarii*; ſed quùm in hoc viris eruditis minus placeat, idcirco pueris in imitationem nunquam commendandus.



De Carmine Trochaico.

Carmen *Trochaicum* ad *Iambicorum* leges quàm proximè accedit; admittit enim

in regionibus imparibus, ſive ſiniſtris, { *Trochæum*, *Tribrachyn*;

in paribus verò, ſive dextris, { *Trochæum*, *Tribrachyn*, *Spondæum*, *Dactylum*, *Anapæſtum*.

Quæ

Quæ lex in tantâ religione habita est, ut sedes impares, præter *Trochæum*, & *Tribrachyn*, nullum alium *pedem* recipiant, ut constat ex Græcis Auctoribus, & maximè ex illis, qui hoc *Metri* genere sæpius usi sunt *Comici*, & *Tragoediæ* Scriptores.

Trochaicum Systema *Tetrametris* ferè *Catalectis*, vel duobus *Commatibus Dimetris*, *Acatalecto*, & *Catalecto* coalescit.

Neque id facit, quò minus inveniantur *Trochaica Carmina* sive maioris, sive minoris *Dimensionis*, veluti ex adducendis mox exemplis planum fiet.

Carmen Trochaicum, *Monometrum*, *Acatalectum*;

Ἀ'ςέναϰτος. *Eur. in Hec. v.* 689.

Hæc *vox* integram efficit *Dipodiam*, quæ constat ex *Trochæo* & *Spondæo*.

Carmen Trochaicum, *Monometrum*, *Hypercatalectum*, sive *Penthemimerum*, aliàs *Pancratium*;

Πεδίον ἀςράπ -- τει. *Eur. in Ph. v.* 111;

ibi integram *Dipodiam* claudunt *Tribrachys* & *Spondæus*; & deinde superest *Syllaba*.

Carmen Trochaicum, *Dimetrum*, *Brachycatalectum*, *Ithyphallicum*, vel *Phallicum*, *Bacchiacum*, quod in *Bacchi* honorem cantari solebat;

Βάϰχε -- Βάϰχε -- Βάϰχε. *Scalig. Poët. Lib. II*;

ibi *Dipodia* integra duobus constat *Trochæis*, deficiens verò uno dumtaxat *Trochæo* coalescit.

Aliud eiusdem formæ;

Τόξά τ' εὔλο — γήσω; *Eur. in Hec. v.* 465;

ibi *Dipodia* integra continet *Trochæos* duos, manca unum *Spondæum*.

Carmen Trochaicum, *Dimetrum*, *Catalectum*, *Hepthemimerum*, vel *Euripidium*, *Lecythium* & *Glyconium*;

Ω'λένεισι -- ματέρος. *Eur. in Ph. v.* 317;

ibi *priorem Dipodiam* efformant duo *Trochæi*. Post ipsam, venit *Trochæus*; & remanet *Syllaba*.

Car-

Carmen Trochaicum, *Dimetrum*, *Acatalectum*, aliàs *Alcmanium*;

Φρύγιον ἄςυ -- καλλίβωλον. *Eur. in Or. v.* 1388.

In *priori Dipodiâ* adest *Tribrachys* & *Trochæus*; in *alterâ Trochæus* & *Spondæus*, productâ *ultimâ vocis* καλλίβωλον, quia in fine *Carminis*.

Carmen Trochaicum, *Dimetrum*, *Hypercatalectum*, aliàs *Bacchylidium*;

Α῏ς ἔγημ' ὁ -- τοξότας Πά -- ρις. *Eur. in Or. v.* 1419.

In utrâque *Dipodiâ* omnes sunt *Trochæi*; & deinde superabundat *Syllaba*.

Carmen Trochaicum, *Trimetrum*, *Brachycatalectum*, aliàs *Sapphicum*;

Οἱ δὲ πρὸς θρό -- νυς ἔσω μο -- λόντες. *Eur. in Or. v.* 1418.

Cùm *prima*, tum *secunda Dipodia* continet duos *Trochæos*; *tertia Spondæum*, & altero prorsus *pede* deficit.

Aliud eiusdem formæ;

Ω῏ τέκνον τέ -- κνον ταλαίνας -- ματρός. *Eur. in Hec. v.* 692.

Priorem Dipodiam efformant duo *Trochæi*; *secundam Trochæus* & *Spondæus*; *tertiam Spondæus*, & *pes* deest.

Carmen Trochaicum, *Trimetrum*, *Catalectum*, aliàs *Sotadicum*, & *Archilochium*;

Ζεῦ πάτερ γά -- μον μὲν ὐκ ἐ -- δαισάμην. *Hephæst.*

Prima, & *secunda Dipodia* duos præfert *Trochæos*; *tertia Trochæum*, & *Syllabam Longam*.

Carmen Trochaicum, *Trimetrum*, *Acatalectum*, aliàs *Archilochium*;

Οὐκ Ι῎αμβος - ἀλλά σε Τρο - χαῖος ἄρδει. *Scalig. Poët. Lib. II.*

Omnes sunt *Trochæi*, præter ultimum *pedem*, qui est *Spondæus*.

Carmen Trochaicum, *Trimetrum*, *Hypercatalectum*, aliàs *Sapphicum*;

Η῏λθον εἰς δό - μυς, ἵν' αὖθ' ἔ - κας́α σοι λέ - γω. *Eur. in Or. v.* 1409;

ibi

ibi unaquæque *Dipodia* binos præfert *Trochæos*, & remanet in fine *Syllaba*.

Carmen Trochaicum, *Trimetrum*, *Brachycatalectum*, aliàs *Sotadicum*;

Οὐκ ἄλις το – νηρίας ἦν; πρόσθες αὖ σε – αυτόν. *Scalig. ibid.*

Dipodia prior duos habet *Trochæos*; *altera Trochæum* & *Spondæum*; *tertia* duos *Trochæos* exhibet; *quarta pede* deficit.

Carmen Trochaicum, *Tetrametrum*, *Catalectum*, aliàs *Archilochium*, *Epicharmium*, *Hipponacteum*, *Tragicis Comicisque* familiarissimum;

Παντάχῦ ζῆν – ἡδὺ μᾶλλον, – ἢ θανεῖν τοῖς – σώφροσιν. *Eur.* in *Or. v.* 1511.

In *priori Dipodiâ* reperiuntur *Trochæus* & *Spondæus*; in *secundâ Trochæi* duo; in *tertiâ Trochæus* & *Spondæus*; in *quartâ Trochæus*, & redundat *Syllaba*.

Carmen Trochaicum, *Tetrametrum*, *Acatalectum*, aliàs *Archilochium*, *Anacreonticum*, *Hipponacteum*;

Κλῦθί μευ γέ – ροντος εὔ ε – θειρα χρυσό – πεπλε κύρη. *Anac.* 115.

Ubique *Trochæi* præter ultimum *pedem*, qui est *Spondæus*.

Carmen Trochaicum, *Tetrametrum*, *Hypercatalectum*, *Anacreonticum*;

Σὺν γελῶτι – σύν τ' ἔρωτι – γῆρας ὄλβον – ἄξον ἀντὲ – χων. *Scalig. ibid.*

Ubique similiter *Trochæi*, & superest in fine *Syllaba*.



De Carmine Ionico à Maiore.

Carmen *Ionicum à Maiore* ex solis *pedibus Ionicis à Maiore*, idest, ex *Spondæo* & *Pyrrhichio* per singulas *Dipodias* rarissimè constat, sed *Trochaicas Dipodias*, quæ eandem *Temporis* proportionem servant, & etiam à *Longâ Syllabâ* ordiuntur, sibi adiungit; nullis sedibus servatis.

Huius

Huius *Carminis* commensuratio incipit, & procedit ad hunc modum;

Carmen Ionicum à Maiore, Monometrum, Hypercatalectum, sive *Penthemimerum*;

Πτώσσυσι μυ - χῶν. *Eur. in Hec. v.* 1064;

ibi *Basis* seu *Dipodia* constat ex *Spondæo* & *Pyrrhichio*, & post ipsam, remanet *Syllaba*, quâcum hic *Versus* modum *Monometri* excedit. Aliàs πτώσσυσι μυχῶν *Basis* esset *Anapæstica*, de quâ infra.

Carmen Ionicum à Maiore, Dimetrum, Brachycatalectum, aliàs *Hipponacteum*;

Καὶ σώφρονα - πώλοις. *Eur.* in *Ph. v.* 184.

Dipodia integra continet *Spondæum* & *Pyrrhichium*; manca verò unum præfert *Spondæum*.

Carmen Ionicum à Maiore, Dimetrum, Catalectum, sive *Hepthemimerum*;

Ἡ Παλλάδος - ἐν πόλει. *Eur.* in *Hec. v.* 466.

Constat *Dipodia* integra ex *Spondæo* & *Pyrrhichio*; manca verò ex *Trochæo* & *Syllabâ* post ipsum *Longâ*, quæ redundat.

Notanda huc veniunt hæc *Schol.* ad *Hephæst.* verba: ἐν τύτῳ ἡ πρώτη ἀδιάφορος. Ἡ δὲ καταληκτικὴς Τροχαϊκή. nec alia mensura in huiusmodi *Versibus* est probanda.

Carmen Ionicum à Maiore, Dimetrum, Acatalectum;

Δάφνα θ' ἱε - ρὺς ἀνέσχε. *Eur. in Hec. v.* 457.

Dipodia prior præfert *Spondæum* & *Pyrrhichium*; *altera Trochæos* duos.

Carmen Ionicum à Maiore, Dimetrum, Hypercatalectum;

Νῦν δ' ἔτος ἀ - νεῖται συγε - ρῷ. *Soph. in Aiac. Flag. v.* 1232.

Cùm *prima*, tum *secunda Dipodia* continet *Spondæum* & *Pyrrhichium*, & remanet in fine *Syllaba*.

Carmen Ionicum à Maiore, Trimetrum, Brachycatalectum, aliàs *Praxilleum*; Οὐ-

Οὖδας θανά – τυ ςρυφνὸν ἀ – ηδές. *Scalig. Poëtic. Lib. II.* Proprie hic *Versus Purus* est, habens in *primâ* & *secundâ Dipodiâ Spondæum* & *Pyrrhichium*; postea superest *Spondæus*, qui cum *Pyrrhichio* alio *Trimetrum Carmen Ionicum à Maiore* compleret.

Carmen Ionicum à Maiore, Trimetrum, Catalectum;

Αἰεὶ κατέ – χων ἀνήιξε – μὲν ξίφυς. *Eur. in Ph. v.* 333. *Dipodia prior* absolvitur *Spondæo* & *Pyrrhichio*; *secunda Trochæis* duobus, quam *Dipodiam* statim sequitur *Trochæus* alter, & una, quæ remanet post ipsum, *Syllaba.*

Carmen Ionicum à Maiore, Trimetrum, Acatalectum, aliàs *Æolicum;*

Κρῆσσαι νύ πο – θ' ὧδ' ἐμ μελέ – ως πόδεσσιν. *Hephæst.* *Dipodia prior* continet *Spondæum* & *Pyrrhichium*; *secunda* similiter *Spondæum* & *Pyrrhichium*; *tertia* est *Trochaica*, & duos habet *Trochæos*, vel, si mavis, *Trochæum* & *Spondæum*, propter *ultimam Versûs Syllabam*, quæ *Longa* efficitur, ob *Pausam* in fine uniuscuiusque *Versûs* fieri solitam.

Carmen Ionicum à Maiore, Trimetrum, Hypercatalectum;

Μάτερ τερέ – νων χαῖρε με – λῶν Καλλιό – πη. *Scalig. ibid.* Unaquæque *Dipodia* præfert *Spondæum* & *Pyrrhichium*; & superest in fine *Longa Syllaba.*

Carmen Ionicum à Maiore, Tetrametrum, Brachycatalectum, aliàs *Sotadicum;*

Ὁ σκληρὸς ἄ – νυς σκαιὰ νο – εῖ δύσμορος – ἀνήρ. *Scalig. ibid.* Eosdem *pedes* in singulis *Dipodiis*, quos præfert superior, hic *Versus* habet, unicâ exceptâ *Syllabâ*, quæ in hoc superabundat.

Carmen Ionicum à Maiore, Tetrametrum, Catalectum;

Παῖ φράζεο – πῶς δῶρα βί – υ Ζεὺς ἐδί – δω λάβρυ. *Scalig. ibid.*

Unaquæque *Dipodia* continet *Spondæum* & *Pyrrhichium*, præter ultimam, quæ constat ex *Spondæo* & *Syllabâ*, quæ post ipsum redundat, *Longâ*.

Carmen Ionicum à Maiore, *Tetrametrum*, *Acatalectum*, aliàs *Sapphicum*, & *Ionicum*;

Ζημία μό – ρος τῶν ἀχα – λίνων στομά – των ἀκριβής. *Scalig. ibid.*

In ſingulis *Dipodiis* adeſt *Spondæus* & *Pyrrhichius*.

Atque hæc omnia ſunt *Pura Ionica*, ſive *Legitima*, ſi ita vocari libeat. *Impura* verò tot ſibi vindicant licentias, ut hos omnes per ſingulas *Dipodias* admittant *pedes*, videlicet,

Anapæſtum & *Pyrrhichium*, ſolutâ primâ *Spondæi*;
Dactylum & *Pyrrhichium*, ſolutâ ſecundâ eiuſdem;
Moloſſum, contractis *Brevibus Pyrrhichii*;
Pæona Secundum;
Tribrachyn & *Pyrrhichium*, ſolutâ ſecundâ *Pæonis*;

Et inde prout duas *Breves*, vel *primas*, vel *medias*, vel *finales* contraxeris, *Pæonas* omnes;

Tribrachyn & *Trochæum*, ſolutâ primâ *Ditrochæi*;
Trochæum & *Tribrachyn*, ſolutâ tertiâ;
Ditribrachyn, ſolutis omnibus.

Et *Ionica* κατ' ἀντιπάθειαν, ſive *Epionica* iunguntur *Iambicis Dipodiis*, & *Choriambicis*, & *Epitritis* omnibus.



De Carmine Ionico à Minore.

Carmen Ionicum à Minore Purum habet per ſingulas *Dipodias pedem Ionicum à Minore*, qui conſtat ex *Pyrrhichio* & *Spondæo*; interdum recipit *Ditrochæum*, & pro *Ditrochæo* etiam *Diiambo* gaudet.

Forma huius *Carminis* à *Monometro* ad *Tetrametrum* uſque decurrit, veluti ex ſequentibus exemplis adparebit.

Carmen Ionicum à Minore, *Monometrum*, *Hypercatalectum*, ſive *Penthemimerum*;

Ἐρα-

Ἔρατὼ δεῦρ — ο. *Scalig. Poëtic. Lib. II.*
Prior ibi *pes Pyrrhichius*; *secundus Spondæus*, qui simul *Dipodiam* efformant, & deinde superest *Syllaba*.

Carmen Ionicum à Minore, Dimetrum, Brachycatalectum;

Ἐπὶ τάνδ' ἔτσ — 'υθείς. *Eur. in Hec. v.* 1085.
Dipodia integra habet *Pyrrhichium* & *Spondæum*; manca verò *Spondæum* dumtaxat.

Carmen Ionicum à Minore, Dimetrum, Catalectum, sive *Hepthemimerum*, aliàs *Timocratium*;

Ἐλάτας ἄκρ — οκόμοις. *Eur. in Ph. v.* 1540.
Dipodia prior constat ex *Pyrrhichio* & *Spondæo*; *altera* ex *Pyrrhichio*, & *Syllabâ* post ipsum superstite.

Carmen Ionicum à Minore, Dimetrum, Acatalectum, Anacreonticum;

Ῥοδίνοισι ς — εφανίσκοις. *Anac. Od. V. v.* 15.
Utraque *Dipodia* constat ex *Pyrrhichio* & *Spondæo*.

Aliud eiusdem formæ;

. . . . φέρον —
τα τοῖς ἐμοῖσ — ι τυράννοις. *Soph. Oed. T. v.* 1114.
In *priori Dipodiâ* habentur *Iambi* duo; in *alterâ Pyrrhichius* & *Spondæus*.

Carmen Ionicum à Minore, Dimetrum, Hypercatalectum;

Μόνα δ' αἰῶν — α δ' ἄξεσ — α. *Eur. in Ph. v.* 1546.
Utraque ibi *Dipodia* constat ex *Pyrrhichio* & *Spondæo*; & postea remanet *Syllaba*.

Carmen Ionicum à Minore, Trimetrum, Brachycatalectum;

Κύπρι μάτερ — μαλερῶν Φρόντ — ίδων. *Scalig. Poët. Lib. II.*
Prima Dipodia effert *Pyrrhichium* & *Spondæum*; *secunda* similiter *Pyrrhichium* & *Spondæum*; *tertia Iambum*.

Aliud eiusdem formæ;

Ὦ μαυλοὶ, ὧν — ὕπερ, ὦ Χρυσ — έα. *Soph. Oed. T. v.* 197.
Dipodia prior habet *Iambos* duos; *altera Pyrrhichium* & *Spondæum*; *tertia Iambum*; aliàs εα *monosyllabon* per

 syn-

synizesin efficeret *Carmen Ionicum à Minore, Dimetrum, Hypercatalectum.*

Carmen Ionicum à Minore, Trimetrum, Catalectum, Anacreonticum;

Χέε μοι νέκτ — αρ ἄνυδρον — μελικόν. *Scalig. ibid.*
Dipodia prior continet *Pyrrhichium* & *Spondæum; secunda* est proximæ similis; *tertia* constat ex *Pyrrhichio* & *Syllabâ*, quæ post ipsum redundat.

Carmen Ionicum à Minore, Trimetrum, Acatalectum; aliàs *Sapphicum;*

Γλυκυφόρμιγγ — ες ὕμνοι Λεσβ — ίδος αὔρας. *Scalig. ibid.*
Dipodia prior exhibet *Pyrrhichium* & *Spondæum*, & huic similes sunt *secunda*, & *tertia*.

Carmen Ionicum à Minore, Trimetrum, Hypercatalectum;

Παφία φείδ — εο δέσποιν — α γεροντεί — υ. *Scalig. ibid.*
Unaquæque *Dipodia* recipit *Pyrrhichium* & *Spondæum;* sed *ultima* duabus prioribus maior est unâ *Syllabâ*.

Carmen Ionicum à Minore, Tetrametrum, Brachycatalectum;

Τί λέγεις θυμ - έ; ἔγωγ'; εὔρ - εν ἀλιτρὸν - θεός. *Scalig. ibid.*
Unaquæque *Dipodia* constat ex *Pyrrhichio* & *Spondæo;* sed in *ultimâ Spondæus* desideratur.

Carmen Ionicum à Minore, Tetrametrum, Catalectum, aliàs *Phalæcium;*

Θεραπεύων — φυγὰς αὔλαν, — φυγάς ἐςι — δεκάκις. *Scalig. ibid.*
Unaquæque *Dipodia* continet *Pyrrhichium* & *Spondæum;* sed *ultima*, ut compleatur, *Syllabam Longam*, & insuper à *Consonante* incipientem postulat.

Carmen Ionicum à Minore, Tetrametrum, Acatalectum; aliàs *Alcmanium;*

Κακοδαίμων — κακοπράγμων — κακοπαίγμων — κακοπείσμων. *Scalig. ibid.*
Unaquæque *Dipodia* exhibet *Pyrrhichium* & *Spondæum.*

Et hæc sunt *Pura*, sive *Legitima Carmina Ionica à Minore;*

hore; *Impura* verò ferè eosdem habent *pedes*, quos *Impura Ionica à Maiore* recipiunt.

De Carmine Choriambico.

CArmen *Choriambicum* principaliter constat *Choriambo*, à quo nomen sumsit; desinens propriè in *Dactylum*, vel *Creticum*, & interdum priore *Trochæi Syllabâ* in duas *Breves* solutâ *Tribrachyn* admittit, rarò autem *Molossum*.

Unum autem, hic non omittendum, est, quod hæc *Metri* genera *Bacchio* clauduntur suavissimè, ut,

Α᾿ μανία τυράννῳ.

Ceterùm hæc quoque *Carmina* à *Monometro* ad *Tetrametrum* usque pertingunt, uti certè ab exemplis sequentibus liquebit.

Carmen Choriambicum, *Monometrum*, *Acatalectum*;

Ω῎ μοι ἐγώ. *Eur. in Hec. v.* 1055.

Quatuor hæ *Syllabæ* integrum *pedem Choriambicum* efformant, idest, *Choreum* & *Iambum*, quibus constat, ut dixi, *Choriambica Syzygia* regulariter.

Si tamen hoc *Carmen* ita scribatur Ωἴ μοι ἐγώ, prout exstat in quibusdam Exemplaribus, tunc erit *Monometrum*, *Hypercatalectum*, vel etiam *Monometrum*, *Acatalectum*, quod *Bacchio* clauditur.

Carmen Choriambicum, *Monometrum*, *Hypercatalectum*, sive *Penthemimerum*;

Τάνδε γυναιx – ἂν *Eur. in Hec. v.* 1071.

Dipodia hæc constat ex *Choreo* & *Iambo*; & deinde superest *Syllaba*.

Carmen Choriambicum, *Dimetrum*, *Brachycatalectum*, *Alcmanium*;

Α῎λιος αὐγ – ἄζει. *Eur. in Hec. v.* 635.

Dipodia integra præfert *Choreum* & *Iambum*; manca verò

rò habet duas tantùm *Syllabas*, quibuſcum tamen effici commodè poſſet *Choreus*, ideſt, dummodo poſt ipſas *Dictio* à *Brevi Vocali* incipiens ſequeretur.

Carmen Choriambicum, *Dimetrum*, *Catalectum*, ſive *Hepthemimerum*;

Πορθμὸν ἄϊξ – ω τάλας. *Eur. in Hec. v.* 1113.

Dipodia prior continet *Choreum* & *Iambum*; *ſecunda Choreum*, & unam, poſt ipſum, *Syllabam*.

Aliud eiusdem formæ;

Πῦ φαέθων – Α"λιος. *Soph. in El. v.* 826.

Carmen Choriambicum, *Dimetrum*, *Acatalectum*, *Anacreonticum*;

Α'μφὶ κλάδοις – ἑζομένα. *Eur. in Ph. v.* 1541.

Cùm *prima*, tum *ſecunda Dipodia* conſtat ex *Choreo* & *Iambo*.

Aliud eiusdem formæ;

Νιφόβολόν τ' – ὄρος ἱερόν. *Eur. in Ph. v.* 243.

Dipodia prior exhibet *Choreum* & *Iambum*; *ſecunda Tribrachyn* & *Iambum*, *ultimâ* iam in fine *Verſûs productâ*.

Carmen Choriambicum, *Dimetrum*, *Hypercatalectum*;

Ο"φελε πρότερον – αἰθέρα δῦ – ναι. *Soph. in Aiac. Flag. v.* 1216.

Dipodia prior conflatur ex *Tribraco* ſolutâ *primâ Longâ Chorei* in duas *Breves*, & ex *Tribraco* ſolutâ item *ultimâ Longâ Iambi* in duas *Breves*; *ſecunda Dipodia* præfert *Choreum* & *Iambum*; & deinde redundat *Syllaba*.

Carmen Choriambicum, *Trimetrum*, *Brachycatalectum*;

Πολιὸν ἀφανὲς – αἰθέρος εἴδ – ωλον. *Eur. in Ph. v.* 1569.

Dipodia prior continet *Tribracos* duos; *ſecunda Choreum* & *Iambum*; *tertia Choreum*; & integer *pes* deficit.

Carmen Choriambicum, *Trimetrum*, *Catalectum*;

Οὐδὲ λεόντ – ων σθενὸς, οὐδ – ὲ τροφαί. *Hepheſt.*

Dipodia prior formatur ex *Choreo* & *Iambo*; *ſecunda* item ex *Choreo* conſtat & *Iambo*; *tertia Choreum* habet, & poſt ipſum *Syllabam*, quæ ibidem remanet.

Car-

Carmen Choriambicum, *Tetrametrum*, *Catalectum*;

Φοῖβε πάτερ – χαῖρε, δίδυ – ἀγλαόφων – ον βίον. *Scalig. Poët. Lib. II.*

Unaquæque *Dipodia* continet *Choreum* & *Iambum*, præter ultimam, quæ constat ex *Choreo*, & post ipsum, unam habet dumtaxat *Syllabam*.

Carmen Choriambicum, *Tetrametrum*, *Catalectum*, *Anacreonticum*;

Ἐκ ποταμῦ – πανέρχομαι – πάντα φερῦσ – α λαμπρά. *Anac.* εἰς τὸ ἔαρ. ν. 84. 92.

Dipodia prior exhibet *Choreum* & *Iambum*; *secunda Epitritum Tertium*, seu *Spondæum* & *Iambum*; *tertia Choreum* & *Iambum*; *quarta Iambum*, & unam post ipsum *Syllabam*.

Et hæc omnia, præter ultimum, sunt *Pura Carmina Choriambica*; *Impura* verò sive *mixta* admittunt ferè omnes *pedes*, ut, *Ditrochæum*, *Pæona Primum*, *Epitritum Tertium*, aliosque tum *Pæonas*, tum *Epitritos*, unâ cum *Choriambis* admixtos, ita ut efformentur *Carmina Choriambica* ei, quod paullò ante ex *Anacreonte* in medium protuli, præter propter consimilia.

De Carmine Antispastico, sive Iambichoreo.

Carmen Antispasticum Purum ex solis *Antispastis* & *Iambis* constat: desinens, si non sit *Versus Acatalectus*, in illorum *pedum* portiunculas; & *Legitimi* quidem *Versus* non respuunt *Epitritos*, *Primum*, *Tertium*, & *Quartum*: vitat verò hoc *Metrum* suis *pedibus* concludi; nihil enim hâc *pedum* clausulâ asperius, nihil durius. Ad *Dimensionem*, quod adtinet, incipit hoc *Carmen* à *Monometro Hypercatalecto*, & desinit in *Tetrametrum Hypercatalectum*, aliàs *Simmiacum*. En exempla, quibus res evadat manifestior.

Car-

Carmen Antispasticum, *Monometrum*, *Hypercatalectum*, *Penthemimerum*, aliàs *Dochmaicum*;

Ι'δὲ πεῖθ - μαι. *Eur. in Orest. v.* 144;

ibi *Dipodia* constat ex *Iambo* & *Choreo*, & post ipsam, remanet *Syllaba*.

Aliud eiusdem formæ;

Ι'δαία μὲ - μνω. *Soph. in Aiac. Flag. v.* 606;

ibi *Dipodiam* efformat *Epitritus Quartus*, qui *Spondæo* & *Choreo* æquivalet; atque ita profectò, quia *prior Syllaba vocis* Ι'δαία *Longa* est.

Carmen Antispasticum, *Dimetrum*, *Brachycatalectum*,

Βολαῖς ἀε - λίε. *Eur. in Ph. v.* 174.

Dipodia integra constat ex *Antispasto*, ideſt ex *Iambo* & *Choreo*, manca verò unicum habet *Iambum*.

Carmen Antispasticum, *Dimetrum*, *Catalectum*, *Hepthemimerum*, *Pherecratium*;

Τάλαιν' ὡς ἐ - λελίζει. *Eur. in Ph. v.* 1516.

Dipodia integra continet *Iambum* & *Choreum*; non integra *Iambum*, & post ipsum, *Syllabam*.

Carmen Antispasticum, *Dimetrum*, *Acatalectum*, aliàs *Glyconium*;

Α'ριστον μὲν - ὕδωρ. ὁ δέ. *Pind. Od. I. v.* 1.

Dipodia prior constat ex *Iambo* & *Choreo*; *secunda* ex duobus *Iambis*, sive *Epitrito Tertio* productâ *Syllabâ priore vocis* ὕδωρ, quæ potest pro libito produci, vel corripi.

Carmen Antispasticum, *Dimetrum*, *Hypercatalectum*, aliàs *Sapphicum*, *Hipponacteum*;

Τί μ', ὦ παρθέ - νε, βακτρεύμα - σι. *Eur. in Ph. v.* 1534.

Cùm *prima*, tum *secunda Dipodia* præfert *Iambum* & *Choreum*; sed in *secundâ* redundat *Syllaba*.

Carmen Antispasticum, *Trimetrum*, *Brachycatalectum*, aliàs *Praxillium*;

Ε'ὥοισιν - ὅμοια φλε - γέθων. *Eur. in Ph. v.* 173.

Dipodia prior exhibet *Iambum* & *Choreum*; *altera* item *Iambum* & *Choreum*; *tertia* adfert *Iambum*; sed hæc *Dipodia*

podia imperfecta est, ac uno *pede* mutila, *Spondæo*, scilicet, quocum compleri posset venustissimè.

Carmen Antispasticum, *Trimetrum*, *Catalectum*, sive *Hendecasyllabum*, aliàs *Phalæcium*, *Anacreonticum*, *Sapphicum* perfectissimum;.

Θοῶν ὠκυ - άλων νεῶν - ὅτ' Αἴας. *Soph. in Aiac. Flag. v.* 720.

Dipodia prior absolvitur *Iambo* & *Choreo*; *altera Iambis* duobus; *tertia Iambo*, & deinde *Syllaba* superabundat.

Carmen Antispasticum, *Trimetrum*, *Acatalectum*, aliàs *Alcaicum*, *Alcmanium*, *Asclepiadeum*;

Ἀλλ' ἁ μοιρι - δία τις δύ - νασις, δεινά. *Soph. in Antig. v.* 967.

Dipodia prior habet *Epitritum Tertium*; *secunda Antispastum*; *tertia* item *Antispastum*.

Carmen Antispasticum, *Tetrametrum*, *Brachycatalectum*, aliàs *Alcaicum*;

Φέρω διο - γένεσσιν Δι - δύμοις ἄσμα - φίλον. *Scal. Poëtic. Lib. II. cap.* 19.

Unaquæque *Dipodia Iambo* & *Choreo* coalescit, sed *ultimæ* deest *Choreus*, vel potiùs *Spondæus*.

Carmen Antispasticum, *Tetrametrum*, *Catalectum*;

Ἄωτον λυ - ρᾶν δέχυ - τριχάρτισε - Πρίηπε. *Scalig. loc. excit.*

Dipodia prior exhibet *Iambum* & *Choreum*; *secunda Iambos* duos; *tertia Iambum* & *Choreum*; *quarta Iambum*, & *Syllabam*.

Carmen Antispasticum, *Tetrametrum*, *Acatalectum*, aliàs *Sapphicum*, *Alcaicum*, *Alcmanium*;

Νύμφαις αἷς Δι - ὸς ἐξ αἰγι - όχω φασὶ - τετυγμέναις. *Hephæst.*

Dipodia prior præfert *Epitritum Tertium*; *secunda Iambum* & *Choreum*; *tertia* proximæ similis; *quarta* absolvitur *Iambis* duobus.

Carmen Antispasticum, *Tetrametrum*, *Hypercatalectum*, aliàs *Simmiacum*;

Τὸν σύγγονον Με - λανίππυ φό - νον αἱ πατρο - φόνων ἔριθ - οι. *Hephæst.*

Dipodia prior effert *Epitritum Tertium*; *secunda Antispastum*; *tertia* item *Antispastum*; *quarta Diiambum*; & postea redundat *Syllaba*.

Hæc quidem sunt *Carmina Antispastica Pura*; *Impura* verò, *Ditrochæis* etiam, *Choriambis*, *Epitrito Secundo*, *Pæonibus*, & *Ionicis* coniuncta inveniuntur. Qui & omnes *Longarum* suarum solutiones admittunt.



De Carmine Pæonico.

Carminis Pæonici hæc universa erit lex, ut quælibet *Dimensio* quinque constet *Temporibus*: ne verò exinde colligatur, omnes *pedes* quinque *Temporum* posse recipi, sciendum est, quod *Palimbacchius*, & eius peculiaris solutio, videlicet, *Pæon Tertius*, rarissimè vel apud *Comicos* legibus solutiores reperitur. Hos igitur amat *pedes*,

Creticum,
Bacchium,
Pæona Primum, solutâ *ultimâ Cretici*;
Pæona Quartum, solutâ *primâ* eiusdem;
Pæona Secundum, solutâ *ultimâ Bacchii*;
Tribrachyn & *Pyrrhichium*, solutis ambabus *Cretici*:

Hi soli *Carmen Pæonicum* constituunt, & quâcumque demum sede locentur, *Legitimum Pæonicum Carmen* formare cognoscemus: sin autem alicui & peregrini sese ingesserint *pedes*, nisi ob *ultimam Syllabam Communem*, spurium *Carmen* profectò erit, & consequenter exsibilandum.

Antiqui, *Pæonas* omnium sedium fecere possessores, præter quàm *ultimæ*, cui *Creticum* peculiariter adsignarunt.

Elegantissimum *Pæonicum Carmen* erit, quùm per singulos *pedes* pars Orationis impletur.

Pæo-

Pæonicum tandem *Carmen*, à quâ mensurâ initium sumat, & in quam deinde desinat, operæ nunc pretium erit subindicare.

Carmen Pæonicum, *Dimetrum*, *Brachycatalectum*;

Κακὰ κακῶν – κυρεῖ. *Eur. in Hec. v.* 689;

Pæon Quartus priorem ibi *Commensurationem* efformat; *altera Dimensio* constat ex *Syllabâ Brevi* & *Longâ*, idest, tribus *Temporibus*, & consequenter duo ei *Tempora*, ut compleatur, desunt. Eiusdem formæ erit, &

Δίαιμον ὄ – νυχα. *ibid. v.* 654; dummodo *ultima vocis* ὄνυχα, ob adductam sæpius rationem in *fine Versûs* producatur. *Pæon* autem *Secundus*, qui *priorem* ibi *Dimensionem* constituit, similiter quinque constat *Temporibus*.

Carmen Pæonicum, *Dimetrum*, *Catalectum*;

Χαλκόδετά – τ' ἔμβολα. *Eur. in Ph. v.* 115.

Pæon Primus integram occupat *Dimensionem*; non integram *Dactylus*, aut, si mavis, quatuor tantùm *Tempora*.

Carmen Pæonicum, *Dimetrum*, *Acatalectum*;

Ὑψιπετὲς – εἰς μέλαθρον. *Eur. in Hec. v.* 1101;

ibi *Pæon Primus* utranque *Dimensionem* absolvit.

Aliud eiusdem formæ;

Θρήϊκιος – ἱππότας. *Eur. in Hec. v.* 710.

Prima Dimensio præfert *Pæona Primum*; *altera* verò *Creticum*; *Dorico* enim more *vox* ἱππότας ibi ponitur pro ἱππότης.

Carmen Pæonicum, *Dimetrum*, *Hypercatalectum*;

Θεῶν Νέμε – σις εἰς Ἑλέ – ναν. *Eur. in Orest. v.* 1367.

Prior Dimensio conficitur *Pæone Secundo*; *altera* similis est proximæ, & post ipsam *Longa Syllaba* superabundat.

Carmen Pæonicum, *Trimetrum*, *Brachycatalectum*;

Ὄρεγε νῦν – ὄρεγε γηρ – αιάν. *Eur. in Ph. v.* 103.

Dimensio prior continet *Pæona Quartum*; *altera* item *Pæona Quartum* exhibet; *tertia* habet duas *Longas Syllabas*, idest, quatuor *Tempora*; unde uno tantùm *Tempore*, quo compleretur, orbata est.

Carmen Pæonicum, Trimetrum, Catalectum;

Βάλοιμι χρό - ω φυγάδα - μέλεον. *Eur. in Phoen. v.* 171.
Prior Dimensio constat *Pæone Secundo*; *altera Pæone Primo*; *tertia Brevibus* tribus, vel duabus, & *Longâ*, *ultimâ vocis* μέλεον, propter *Pausam*, quâ *Versus* finitur, productâ; adeò ut eidem *Dimensioni* duo *Tempora* desint, vel unum dumtaxat, ut ipsa suum recipiat complementum.

Carmen Pæonicum, Trimetrum, Acatalectum;

Θανάσιμον - πρὸς Α'ΐδαν - ὦ τάλας. *Eur. in Hec. v.* 1032.
Dimensio prior habet *Pæona Quartum*; *secunda* item *Pæona Quartum*; *tertia Creticum*.

Aliud eiusdem formæ;

Ο' Φρύγιος, - ἢ τρικορύ - θος Αἴας. *Eur. in Orest. v.* 1503.
Dimensio prior effert *Pæona Primum*; *secunda* item *Pæona Primum*; *tertia Bacchium*.

Carmen Pæonicum, Tetrametrum, Brachycatalectum;

Θυμελικὰν - ἴθι μάκαρ - φιλοφρόνως - ἔριν. *Scalig. Poët. Lib. II.*
Unaquæque *Dimensio* ex tribus *prioribus* constat ex *Pæone Quarto*; sed *quarta*, quùm *ultima* vocis ἔριν ibi *Longa* sit, tria tantùm habet *Tempora*; quare aliis duobus, ut compleatur, indiget.

Carmen Pæonicum, Tetrametrum, Acatalectum, Aristophanium, Simmiacum;

Ω̃ μακάρι' - Αὐτόμενες - ὥς σε μακα - ρίζομεν. *Aristoph. in Vesp. v.* 1266.
Pæon Primus est in unâquâque *Dimensione*, præter quàm in *ultimâ*, ubi adest *Creticus*, quia illud εν in *fine Versûs Longum* est.

Aliud eiusdem formæ;

Μάτερ ὦ - πότνια κλ - ῦθι Νύμφ - αν ἀβράν. *Simm.*
Unaquæque *Dimensio*, habet *Creticum*.

Carmen Pæonicum, Pentametrum, Acatalectum, aliàs *Theopompium*;

Πάντ' ἀγαθὰ - δὴ γέγονεν - ἄνδρασιν ἐ - μῆς ἀπὸ συν - ουσίας. *Hephæst.*

Pri-

Priores quatuor *Dimensiones* sunt æquales; unaquæque enim per se continet *Pæona Primum*; sed *quinta* habet *Creticum*.

Idem *Bacchicum*;

Πρὸς ἄλλαν - δ' ἐλαύνει - θεὸς συμ - φορὰν τᾶς - δε κρείσσω.
Eur. in Hel. v. 648.

Unaquæque *Dimensio* habet *Bacchium*.

Idem *Creticum* pro *Bacchiis*, *pedes* in unâquâque *Dimensione* excipit *Creticos*.

Carmen Pæonicum, *Pentametrum*, *Hypercatalectum*;

Ἀφροδί - τα μὲν οὐκ - ἔστι μάρ - γος δ' Ἔρως - οἷα παίσδ - ει.
Scalig. Poët. Lib. II.

Quælibet *Dimensio* habet *Creticum*; & redundat in *fine Syllaba*.

Carmen Pæonicum, *Hexametrum* in *Dissyllabam*;

Ἄκρ' ἐπ' ἄνθ' - ῆκα βαίν - ων ἃ μή - μοι θίγης - τῷ κυπασσ - ίσκῳ.
Hephæst.

In unâquâque *Dimensione* adest *Creticus*. Postea sequuntur duæ *Longæ Syllabæ*.



De Carmine Prosodiaco.

Carmen Prosodiacum, quod ego vocari mallem *Epichoriambicum*, est *Choriambi* cum *Ionicis*, vel *Pæonibus* pro *Ionicis* mixtura; solutione *Longarum* admissâ. Dicitur autem *Prosodiacum* ex eo, quod in diebus festis, in quibus Supplicationes & Obsecrationes fiebant, hoc *Metri* genere Veteres utebantur, ut liquet ex *Scholiaste* ad *Sophoclem in Aiac. v.* 181.

Dimensio huius *Carminis* incipit à *Dimetro*, *Acatalecto*, & ultra *Trimetrum Hypercatalectum* non progreditur.

Carmen Prosodiacum, *Dimetrum*, *Acatalectum*;

Κρυπτὰν βάσιν - αἰσθάνομαι. *Eur. in Hec. v.* 1070.

Di-

Dimensio prima continet *Ionicum à Maiore*; *secunda* verò *Choriambum*.

Alio modo ſcandi poteſt hoc ipſum *Carmen*, nimirum;

Κρυπτὰν βάσιν αἰσθ - άνομαι.

& tunc erit *Anapæſticum*, *Dimetrum*, *Brachycatalectum*, habens in *primâ Dipodiâ Spondæum* & *Anapæſtum*; in *ſecundâ* verò *Anapæſtum* unum, & nihil amplius.

Aliud *Proſodiacum*, *Dimetrum*, *Acatalectum*;

Οὐδ᾽ ἀρέτὰν – παρέδωκαν. *Eur. in Med. v.* 629.

In *primâ Dimenſione* adeſt *Choriambus*; in *ſecundâ Ionicus à Minore*.

Aliud eiusdem formæ;

Νήματα δ᾽ ἴ – ετο πέδῳ. *Eur. in Med. v.* 1444.

Prior Dimenſio conſtat ex *Pæone Primo*; *altera* ex *Pæone Quarto*.

Aliud;

Σύτοι μεγα - λανορίαν. *Eur. in Ph. v.* 192.

Dimenſio prior habet *Pæona Secundum*; *altera Choriambum*.

Carmen Proſodiacum, *Dimetrum*, *Hypercatalectum*, aliàs *Phaliſcum*;

Μολπᾶν δ᾽ ἀπὸ - κ̓ χαροποι - ῶν. *Eur. in Hec. v.* 916.

In *primâ Dimenſione* adeſt *Ionicus à Minore*; in *ſecundâ Choriambus*; & *Syllaba* ſuperabundat.

Aliud;

Μαςὸν ὑπερτ – έλλοντ᾽ ἐσι – δῶν. *Eur. in Or. v.* 867.

Prior Dimenſio exhibet *Choriambum*; *altera Ionicum à Maiore*; & redundat *Syllaba*.

Aliud;

Μέγας Ἀρης – δεξιόσειρ – ος. *Soph. in Antig. v.* 143.

Dimenſio prior continet *Pæona Quartum*; *ſecunda Choriambum*; & poſtea adeſt *Syllaba*.

Aliud;

Σταθεὶς ἐπὶ – φόνιον αἷ – μα. *Eur in Or. v.* 1261.

Prima Dimenſio exſerit *Pæona Secundum*; *ſecunda Pæona Quartum*. Poſtea ſequitur *Syllaba*.

Car-

Carmen Prosodiacum, *Dimetrum*, *Hypercatalectum*, à superiore distinctum;

Οὐ πρότοφορος - ἀμερίῳ - γέννα. *Eur. in Ph. v.* 132;
Dimensio prior continet *Ionicum à Maiore*; *secunda Choriambum*; nam ἀμερίῳ, *vox* posita est pro ἡμερίῳ; deinde remanent duæ *Longæ Syllabæ*.

Aliud;

Ὦ ρᾳις πάλιν - ἐξανύσεις - χρέος. *Soph. in Oed. T. v.* 160.
Prima Dimensio præfert *Ionicum à Maiore*; *secunda Choriambum*; deinde superest *Iambus*.

Aliud;

Ὕδασι δὴλ - είαν περι - βάλων. *Eur. in Ph. v.* 198.
In *primâ Dimensione* adest *Choriambus*, vel *Pæon Quartus*; quia *antepenultima* in ὕδασι potest pro Vatis arbitrio produci vel corripi; in *secundâ Ionicus à Maiore*; deinde *Iambus* remanet.

Aliud;

Εὔιππον Α' - ρεϊκάτοχον - γένος. *Eur. in Hec. v.* 1094.
Dimensio prior habet *Ionicum à Maiore*; *secunda Choriambum*; nam *Syllabæ* duæ εἰ per συνίζησιν coalescunt in unam; postea sequitur *Iambus*.

Aliud;

Ὅσγ' ἐπ' ἐμὰν - πόλιν ἔβα - πέρσων. *Eur. in Ph. v.* 156.
Primâ Dimensio præfert *Choriambum*; *secunda Pæona Quartum*; deinde remanent duæ *Longæ Syllabæ*.

Carmen Prosodiacum, *Trimetrum*, *Acatalectum*;

Ἐλάτα πλεύ - σασα περίῤ - ῥυτων ὑπέρ. *Eur. in Ph. v.* 219.
Prima Dimensio habet *Ionicum à Minore*; *secunda Choriambum*; *tertia Diiambum*.

Heic videas coniunctionem *Iambicæ Syzygiæ* cum *Choriambicâ*, ex quibus proprie efficitur *Carmen Choriambicum Impurum*, sive *Epichoriambicum*.

Carmen Prosodiacum, *Trimetrum*, *Hypercatalectum*;

Μεγάλα δέ - τις δύναμις - δι' ἀλάσό - ρων. *Eur. in Or. v.* 1548.

Pri-

Prima Dimensio continet *Pæona Tertium*; *secunda Choriambum*; *tertia* item *Pæona Tertium*; deinde remanet *Longa Syllaba*.

De Carmine Asynarteto.

CArmen Asynartetum, sive *Inconnectibile* tunc habetur, quùm duo *Carmina* alienæ indolis, puta, *Iambicum* & *Trochaicum*, *Pæonicum* & *Dactylicum*, *Anapæsticum* & *Antispasticum*, *Choriambicum* & *Ionicum à Maiore*, sive *à Minore*, ita connectuntur, ac inter se commiscentur, ut unum constituant & novum quoddam conficiant genus, cui propterea *nomen Inconnectibilis* inditum. Huiusmodi *Carminis* varia sunt genera; primum autem locum sibivindicat

Periodicum.

CArmen Periodicum unde dictum, propriè & signatè tradit *Scholiastes* ad *Sophoclem* in *Aiac. v.* 221; his verbis = *περίοδος καλεῖται· ὅτι ὐκ ἔςι μέτρύ τι εἶδος, ἀλλ᾽ ἁπλῶς περίοδος καλεῖται, τὸ ὑπεράνω τῶν τεσσάρων συλλαβῶν σύςημα* =; quo fit, ut *Legitimum Periodicum* dignoscatur, ubicunque *Iambicam Syzygiam* sequitur *Trochaica*; vel vice versâ.

Forma *Carminis Periodici* sequentibus exemplis continetur.

Carmen Periodicum, Dimetrum, Catalectum;

Τίς Ε᾽λλὰς, ἢ — *βάρβαρος*. *Eur. in Ph. v.* 1532.

Prima Dimensio habet *Diiambum*; *secunda Trochæum* & *Syllabam*; quare, ut compleatur *Trochaica Syzygia*, deficit vel *Syllaba Longa*, quâcum *secunda Dimensio* constaret ex *Trochæo* & *Spondæo*; vel *Brevis*, quâcum constaret ex duobus *Trochæis*; vel *Breves* duæ, quibuscum constaret ex *Trochæo* & *Dactylo &c.*

Carmen Periodicum, Dimetrum, Acatalectum;

Ε῎παισ

Ἔπαισ' ἔπαισ – εν μέλαθρα. *Eur. in Oreſt.* v. 1549.
Prima Dimenſio continet *Diiambum*; *ſecunda Ditrochæum*.

Aliud eius formæ, ſed in quo *Iambica Syzygia* ſequitur *Trochaicam*;

Δεινὰ δεινὰ – πεπόνθαμεν. *Eur. in Hec.* v. 1097.
In *primâ Dimenſione* adſunt *Trochæi* duo; in *alterâ* duo *Iambi*.

Carmen Periodicum, Dimetrum, Hypercatalectum;

Ποῖ με τὰν με - λέαν πορεύ - σεις. *Eur. in Hec.* v. 447.
Prima Dimenſio præfert duos *Trochæos*; *ſecunda* duos *Iambos*. Poſtea ſequitur *Syllaba Longa*.

Carmen Periodicum, Trimetrum, Acatalectum;

Λάθαδε πότμ - ω σὺν εὐδαί - μονι γένοιτ' ἄν. *Pind. Od. II.* v. 34.
Prima Dimenſio habet *Spondæum*; (nam illud λάθα eſt pro λήθῃ), & *Iambum*; *ſecunda Trochæum* & *Spondæum*; *tertia Tribrachyn* & *Spondæum*.

Atque heic conſiſtit *Carmen Periodicum*, nec ultra, quod ſciam, progreditur.

Ceterùm innumera ſunt alia *Carmina Aſynarteta*, ſive σύνθετα nuncupata. Pauca accipe.

A' *Dactylis* incipientia;

Ἔλθ' ἐπί – κυρον ἐ - μοῖς φίλοισι - πάντως. *Eur. in Oreſt.* 1305.
In hoc *Carmine* videas *pedes* alienos ſimul coniunctos, ſive per diſcordiam mixturam; nam in *primâ Dimenſione* adeſt *Dactylus*; in *ſecundâ* item *Dactylus* reperitur; ex quibus coniice, hoc *Carmen* huculque *Dactylicum* eſſe, ſubinde *Trochaicum*; nam quod ſequitur *Carmen* eſt *Trochaicum, Dimetrum, Brachycatalectum*, habens in *primâ Dipodiâ Trochæos* duos, in *alterâ* unum dumtaxat *Spondæum*.

Alia eiusdem formæ exſtant apud *Euripidem in Oreſt.* v. 831; 990; 1404; 1416.

Ab *Anapæſtis* incipientia;

Ἐπιδέμνιος ὡς - πέσοιμ' ἐς εὐν - άν. *Eur. in Hec.* v. 926.
Ad hoc *Carmen* efformandum concurrunt *Anapæſti* duo, ſeu *Baſis Anapæſtica*, vel etiam, quod idem eſt, *Carmen*

 Mono-

Monometrum, *Anapæsticum*, *Acatalectum*; deinde *Iambi* duo & *Syllaba Longa*, seu *Iambicum Carmen*, *Monometrum*, *Hypercatalectum*, sive *Penthemimerum*.

Ab *Iambis* incipientia;

Ἰηΐων — καμάτων ἀνέχυ - σι. *Soph. in Oed. T. v.* 182.

In *primâ Dimensione* adsunt duo *Iambi*; in *secundâ* duo *Anapæsti*; deinde remanet *Syllaba*. Exinde hoc *Carmen* constare liquet ex *Iambico*, *Monometro*, *Acatalecto*, & *Monometro*, *Anapæstico*, *Hypercatalecto*.

A' *Trochæis* incipientia;

Αἰθέρ' ἀμπτά - μενος ὐράνιον. *Eur. in Hec. v.* 1107.

In *primâ Dimensione* reperiuntur *Trochæi* duo; in *secundâ* verò duo *Anapæsti*, propter *ultimam Syllabam*, quæ in fine *Versûs*, ut alibi iam præmonui, *Longa* est. Hinc istud *Carmen* ex coniunctione *Trochaici*, *Monometri*, *Acatalecti*, & *Anapæstici*, item *Monometri*, *Acatalecti* coalescit.

Carmen Dipenthemimerum, hoc est, *Penthemimerum* dupliciter sumtum;

Ω᾿ μέγας λι - μὴν - αὐτὸς ἤρκε - σε. *Soph. in Oed. T. v.* 1231.

In *primâ Dimensione* adsunt duo *Trochæi*; post hos, *Cæsura*; in *secundâ Dimensione* item duo habentur *Trochæi*, & similiter *Cæsura*.

Carmen Tripenthemimerum, hoc est, *Penthemimerum* tripliciter sumtum;

Χαῖρε παλαιογό - νων - ἄνδρων θεατ - ῶν - ξύλλογε παντοσό - φων. *T. Morell.*

Facilis est *Dimensio*, si scias *mediam vocis* θεατῶν esse *Longam*.

Carmen Dicatalectum, idest, dupliciter eodem modo desinens, eisdemque *pedibus* dupliciter sumtis efformatum;

Α῎νδρες πρόσχε - τε τὸν νῦν — ἐξευρήμα - τι καινῷ. *Morell.*

In *primâ Dimensione* adest *Spondæus* & *Trochæus*; in *secundâ Bacchius*. Postea repetitur eadem mensura, & sic in *tertiâ Dimensione* adest *Spondæus* & *Trochæus*; in *quartâ Bacchius*.

Car-

Carmen Procatalectum, hoc est, ex *Trochaico*, *Dimetro*, *Acatalecto*, & *Iambico Hephthemimero* compositum;

Ἔϛί μοι κα - λὰ πάϊς χρυ - σέοισιν ἀν - θέμοισιν. *Morell.*

Carmina tandem, quorum *pedes* sunt inregulares, ut puta, *Choriambus* cum *Ditrochæo*, *Antispasto*, aut *Bacchio*; vel *Epitritus Primus* cum *Choriambo*, vel *Iambica Syzygia* cum *Spondæo*, aut *Dactylo* in paribus locis, dicta sunt

Polyschematista.

Carmen Polyschematistum, *Dimetrum*, *Catalectum*;

Δυρατέω τ' - ἐφ' ἵππῳ. *Hephæst.*

In *primâ Dimensione* adest *Choriambus*; in *secundâ Bacchius*, seu *Antispastus*, cui tamen desit *Syllaba Brevis* in *fine*, sive *Epitritus Primus*, cui desit *Longa*.

Carmen Polyschematistum, *Dimetrum*, *Acatalectum*;

Μέγα δὲ μὴ γέ - γαθε πόλις. *Hephæst.*

Priorem Dimensionem efficit *Tribrachys* & *Trochæus*; *posteriorem* verò *Choriambus*.

Carmen Polyschematistum, *Trimetrum*, *Catalectum*;

Τανῦν δ' ἀκύ - ειν τίς ἀθλι - ώτερος. *Soph. in Oed. T. v.* 1227.

Prima Dimensio continet *Diiambum*; *secunda Ditrochæum*; *tertia Trochæum*, & *Syllabam*, quæ post ipsum redundat.

Carmen Polyschematistum, *Trimetrum*, *Acatalectum*;

Οἰδιπόδα - βροτῶν οὐδέ - να μακαρίζω. *Soph. in Oed. T. v.* 1218.

Prima Dimensio constat ex *Choriambo*; *secunda* ex *Antispasto*; *tertia* ex *Tribraco* & *Spondæo*, idest, ex *Iambicâ Syzygiâ*.

Carmen Polyschematistum, *Tetrametrum*, *Catalectum*;

Πάντα φορητ - ὰ πάντα τολμ - ητὰ τῷδε - τῷ χόρῳ. *Hephæst.*

Primam Dimensionem efficit *Choriambus*; *secundam Diiambus*; *tertiam Ditrochæus*; *quartam Trochæus*; & *Syllaba* remanet, post ipsum, *Longa*.

 De

De Basi, seu Fundamento Metrorum.

COniunctio duorum *pedum*, qui sub cuiusvis *Versûs* initium usurpari soliti sunt, ubi *Scansio* per *Dipodiam* decurrit, sive unus simplex *pes*, à quo similiter inchoari *Versus* potest, ubi *Scansio* per *Monopodiam* procedit, *Basis Versûs*, seu *Fundamentum* adpellatur. Unicuique igitur *Versui Basis* competit, &, quod hîc peculiari quâdam animadversione dignum, non una, sed plures, iuxta *pedum* numerum, quibus omnium *Versuum* initia variari poterunt. Has autem *Versuum Bases*, seu *Fundamenta*, levi licèt labore ex iis, quæ supra de *Metrorum Generibus* fusè diximus, cuivis excutere potestas sit; eas tamen hîc locì strictim, & tanquam sub unum adspectum nostris Tironibus obferre volumus, ut ipsi quoque, haud secus ac provectiores, multúmque in *Græcâ Poësi* exercitati Iuvenes, singulos sibi obvios *Versiculos* probe queant expendere, atque è vestigio, & sine errandi periculo, ad quod unusquisque *Metri genus* spectet, adsignare.

Pedes duodecim, quibus *Versuum* mensura constat, ita per litterarum compendia indicantur.

1. *Pyrrhichius* – P.	5. *Tribrachys* - T.	9. *Bacchius* — B.
2. *Spondæus* – S.	6. *Molossus* – M.	10. *Rhodius* — R.
3. *Iambus* – I.	7. *Dactylus* – D.	11. *Creticus* — Cret.
4. *Choreus* – C.	8. *Anapæstus* – A.	12. *Amphibrachys* - Amph.

In his *Choreum* pono pro *Trochæo*, & *Rhodium* (a) pro *Antibacchio* vel *Palimbacchio*, ut *Littera prioris* T. relinquatur *Tribraco*, *Littera* verò *posterioris* A., vel P. *Anapæsto*, & *Pyrrhichio*.

(a) A' *Rhodo* Insulâ Asiæ Minoris, ubi quoque Templum fuit *Baccho* sacrum, testante *Plinio* Lib. 33. c. 12.

Car-

Carminis Dactylici, quod scandi per *Monopodiam* omnino debet, *Bases* duæ: – – – 1.(– – D.
2.(– – S.

Carminis Anapæstici, si per *Monopodiam* scandi debeat, erunt *Bases* quatuor: 1. — A.
2. — D.
3. — S.
4. — P. 2.

Si verò per *Dipodiam*, ut placet nonnullis, *Scansio* eiusdem probetur, *Bases* erunt sedecim:

1. – A. – D.	9. – S. – A.
2. – A. – S.	10. – S. – D.
3. – A. – P. 2.	11. – S. – P. 2.
4. – D. – A.	12. – P. 2. – A.
5. – D. – S.	13. – P. 2. – D.
6. – D. – P. 2.	14. – P. 2. – S.
7. – A. – A.	15. – S. – S.
8. – D. – D.	16. – P. 2. – P. 2.

Carminis Iambici Bases decem:

Notabis, quod pro *Iambo* ponitur aliquando *Pyrrhichius* ob indifferentem *Syllabam*.

1. – I. – I.	6. – I. – T.
2. – S. – I.	7. – S. – T.
3. – T. – I.	8. – T. – T.
4. – D. – I.	9. – D. – T.
5. – A. – I.	10. – A. – T.

Carminis Trochaici Bases decem:

1. – C. – C.	6. – T. – C.
2. – C. – T.	7. – T. – T.
3. – C. – S.	8. – T. – S.
4. – C. – D.	9. – T. – D.
5. – C. – A.	10. – T. – A.

Car-

Carminis Ionici à Maiore Regulares Bases quinque:

1. – S. – P.
2. – C. – C.
3. – C. – T.
4. – – – M.
5. – D. – P.

Inregulares eiusdem *Bases* septem:

1. – A. – P.	4. – P. – C.
2. – I. – P.	5. – P. – I.
3. – T. – P.	6. – T. – C.
	7. – T. – T.

Carminis Ionici à Minore Regulares Bases tres:

1. – P. – S.
2. – C. – C.
3. – I. – I.

Inregulares verò eiusdem *Bases* septem; &; eisdem ferè *pedibus*, ac *Carminis Ionici à Maiore Bases Inregulares*, constant:

Carminis Choriambici Regulares Bases tres:

1. – C. – I.
2. – T. – I.
3. – – – M.

Inregulares eiusdem *Bases* novem:

1. – C. – C.	6. – P. – I.
2. – C. – P.	7. – I. – S.
3. – S. – I.	8. – C. – S.
4. – I. – P.	9. – S. – C.
5. – P. – C.	

Car-

Carminis Antispastici Bases tredecim:

1. — I. — C.	8. — C. — S.
2. — I. — I.	9. — C. — P.
3. — I. — S.	10. — I. — P.
4. — S. — I.	11. — P. — C.
5. — S. — C.	12. — P. — I.
6. — C. — C.	13. — P. — S.
7. — C. — I.	

Carminis Pæonici Bases sex:

1. — — — Cret.	4. — P. — I.
2. — — — B.	5. — I. — P.
3. — C. — P.	6. — T. — P.

Carmen πολύτροπον seu πολυσχημάτιστον proprias *Bases* non habet, sed eas à superioribus mutuatur, ac insuper *Rhodium* vel *Palimbacchium*, & *Antibacchium* pro *Basi* non repudiat.



De

De Carminum Formis in Cantu Chorico.

CHoricus Cantus est illa Chori (α) pars, quæ veterem Tragoediam (β) ferè in quinque *Actus* distinguit: & in omni perfectâ *Tragoediâ* sunt quatuor *Cantus*; quorum *primus* vocatur *Parodus*; reliqui tres *Stasimon* melos nuncupantur. *Parodus* idem, ac *Accessio*, seu *Chori* interloquentis vel cantantis ingressio prima; quùm igitur *Chorus*, seu turba saltantium & canentium ad *Orchestram* accedebat, tum erat *Parodus*, pri-

(α) *Chorus*, Græcè χορὸς ὁ κωμικὸς, multitudo est saltantium, aut canentium in Scenâ. Horum numerum ad Quindecim *Sophocles* primus reduxit, quùm antè plures, usque ad Quinquaginta, aliquando etiam pauciores essent. Chorus sanè ex Vulgaribus Personis constitutus ferè fuit, vel ex Virginibus, vel Mulierculis, vel Senibus, vel Militibus, iisque nunc Civibus, nunc Peregrinis, etiam ex Puberibus & Infantibus, modò adsint præterea, qui Chori partes agant idonei.

Et Chorus quidem Scenam ingrediebatur vel in Fronte Terni, Ordine verò Quinquepartito, quod vocabatur κατὰ ζυγὰ, vel ζυγὰ πέντε ἐκ τριῶν. Vel etiam in Fronte Quini, Ordine Tripartito, quod dicebatur κατὰ στίχους, vel στοῖχοι τρεῖς ἐκ πέντε. Et Chori huius Dux, qui reliquis præcineret, & primus loqueretur, Directorque, ac Monitor ceterorum esset, *Choragus* quoque dicebatur. Saltabant autem & canebant omnes ex Scenæ & Materiæ occasione ad moderationem & exemplum huius *Choragi*.

(β) *Tragoedia* ἀπὸ τοῦ τράγου καὶ ᾠδῆς ab *hirco* & *cantu* nomen traxit. Caper enim victorum præmium fuit. Hanc antiquiorem Comoediâ multi putant, & in Bacchi honorem ad torcular decantatam. Aliter sentit *Scaliger.* Vtrunque nomen idem olim significasse carmen putat *Casaubonus*. Comoedia ἀπὸ τῆς κώμης, à *Vico*, ubi recitabatur, denominata differt à Tragoediâ, quod hæc tristia, illa læta, hæc sublimia, illa vulgaria modulatur, hæc à magnatibus cothurnatis, illa à quovis è plebe agitur, hæc tristem, illa lætum habet exitum. Qui plura cupit, adeat *Scaligerum* de Arte Poëticâ, & *Casaubonum* de Satyricâ Poësi &c. mihi longiori esse non licet.

primus, nimirum, Dramatis *Cantus*, qui *Trochaicis*, & *Anapæſticis Carminibus*, ad primas haſce ingreſſiones ſummopere idoneis, conſtabat. *Staſimon* verò valet *Stabile*, quia *Chorus* poſt *Parodum* ſtabat, & ſtando canebat, idque adpellabatur χοροςασία. Formabatur autem *Staſimon* melos ex variis *Carminum* generibus; quæ nuncupantur,

SYSTEMATICA,

ideſt, quæ vario *Carminum* genere in unum congeſta conſtant; & hæc porro ſecundum *Hephæſtionem*, ſex generum ſunt;

I. Κατὰ σχέσιν, ſecundum convenientiam.
II. Ἀπολελυμένα, ſoluta.
III. Ἄτακτα, inordinata.
IV. Ἐξ ὁμοίων, ex ſimilibus.
V. Μικτὰ, mixta.
VI. Κοινὰ, communia.

I. Κατὰ σχέσιν, ſunt, quæ inter ſe reſpondent, & hæc rurſus ſex generum,

1. Monoſtrophica;
2. Epodica;
3. Κατὰ περικοπὴν ἀνομοιομερῆ, poſt Pericopen, partibus diſſimilibus conſtantia;
4. Antithetica;
5. Mixta;
6. Communia, κατὰ σχέσιν.

1. Monoſtrophica ſunt, quæ unâ *Strophâ* conſtant; qualia *Anacreontis*, *Alcæi*, & *Euripidis Carmina* in *Hec.* *v.* 1022.

2. Epodica ſunt, quæ ſimilibus Syſtematibus diſſimile adiunctum habent. *Euripides in Hec. v.* 627; ubi *Epodus* non eſt ἰσόμετρος, aut ἰσόχρονος cum *Strophâ* & *Antiſtrophâ*.

Antiqui Deorum laudes, *Carminibus* comprehenſas, circum

cum aras eorum euntes canebant; cuius primum ambitum, quem ingrediebantur ex parte dextrâ, *Strophen* vocabant: reversionem autem sinistrorsum factam, completo primo orbe *Antistrophen* adpellabant. Deinde in conspectu Deorum soliti consistere, Cantici reliqua consequebantur, adpellantes id *Epodon*. Ita ut omnis *Strophe* & *Antistrophe* totidem habeant *Syllabas*, vel saltem eadem reservent *Tempora*, in proximâ periodo, quæ subiicitur priori; ut sit aut ἰσόμετρος, aut ἰσόχρονος, quolibet *Metro*, seu *Rhythmo* subsistens; *Epodus* verò formetur àd libitum.

Strophis, *Antistrophis*, & *Epodis* aliquando accedunt brevia *Cola*, qualia sunt ἰήϊε παιὰν - ὦ διθύραμβε - & similia. Hæc, si *Strophæ* inserantur, vocantur μεσύμνια; si post *Strophen* & *Antistrophen* occurrant, adpellantur ἐφύμνια; quæ *Epodicis Carminibus* si quando præponuntur, πρέμνια; si autem post *Antistrophen* collocentur, μεθύμνια nuncupantur.

Huc etiam adnotatu dignum venit, quod si *Adiunctum* in *fine* ponatur, ut in superiùs adlato *Euripidis* exemplo, vocantur *Epodica*; si in *principio*, *Proodica*, si in *medio*, *Mesodica*.

Et *Epodica* quidem sunt ferè *Pindarica* omnia ternario numero, scilicet *Strophâ*, *Antistrophâ*, & *Epodo* constantia; veruntamen nihil prohibet quinario, nimirum, *Strophâ I.a Antistrophâ I.a*; *Strophâ II.a*; *Antistrophâ II.a*; & *Epodo*, exemplo *Euripidis in Hec. v.* 375; & quamvis raro, etiam septenario uti.

3. Κατὰ περικοπὴν ἀνομοιομερῆ, sive Περικόμματα sunt, quæ post variorum Systematum congeriem, sive *Pericopen*, aliam priori per totum respondentem congeriem subiectam habent: sic ut in alterutrâ quidem congerie sint inter se Systemata dissimilia, verùm utraque similibus constent partibus. *Pericommatos* insigne exemplum exstat apud *Sophoclem* in *Aiac. Flag. v.* 901; ibi enim ponitur prior congeries primæ *Strophæ*, primi Systematis; secun-

cundæ *Strophæ*, ſecundi Syſtematis; tertiæ *Strophæ*, tertii Syſtematis; deinde ſequitur poſterior congeries *Antiſtrophæ* primæ, Antiſyſtematis primi; *Antiſtrophæ* ſecundæ, Antiſyſtematis ſecundi; *Antiſtrophæ* tertiæ, Antiſyſtematis tertii; ita tamen ut *Strophe* prima, & primum Syſtema prioris congeriei per totum reſpondeat *Antiſtrophæ* primæ, & primo Antiſyſtemati poſterioris congeriei, & ſic deinceps; quamvis hic ordo nonnunquam confundatur.

4. Antithetica ſunt, quæ in vario *Carminum* genere, primum ultimo, ſecundum penultimo, ac reliquum ſimiliter inter ſe reſpondens habent. Cuius generis eſt *Ovum Simmiæ Rhodii*.

5. Mixta κατὰ σχέσιν dicuntur ea, quæ partim *Epodica* ſunt, partim *Monoſtrophica*.

6. Communia κατὰ σχέσιν, hoc quidem modo diſpoſita, verbi gratiâ, ſunt *Epodica*, illo vero, *Monoſtrophica*.

II. Ἀπολελυμένα ſunt, quæ certum *Carminis* genus nullum habent. Ea rurſum ſunt,

1. Ἄστροφα.
2. Ἀνομοιόστροφα.
3. Ἄτμητα.

1. Ἄστροφα ſunt, quæ tam paucos habent *Verſus*, ut *Strophen* complere non poſſe videantur.

2. Ἀνομοιόστροφα ſunt, quæ aliquibus interiectis interrumpuntur. Sic apud *Euripidem* in *Oreſt. v.* 1290; *Strophe* prima interrumpitur duobus hiſce *Verſiculis*:

Σκέψασθε νῦν ἄμεινον ὑχ' ἕδρας ἀγών.
Ἀλλ' αἱ μὲν ἐνθάδ', αἵδ' ἐκεῖσ' ἑλίσσετε.

Strophe ſecunda interrumpitur ſequentibus tribus:

Ἰὼ Πελασγὸν Ἄργος, ὄλλυμαι κακῶς.
Ἠκύσατ'; ἄνδρες χεῖρ' ἔχυσιν ἐν φόνῳ.
Ἑλένης τὸ κώκυμ' ἐςὶν, ὡς ἀπεικάσαι.

Strophe tertia interrumpitur hoc unico *Verſu*:

 Me-

Μενέλαε, θνήσκω. σὺ δὲ παρὼν μ' ὐκ ὠφελεῖς.
Ea si duo sunt, vocantur
Ἑτερόστροφα. *Eur. Iphig. in Taur. v.* 641;
si plura, adpellantur
Ἀλλοιόστροφα. *Eur. in Hec. v.* 685. *Aristoph. in R. v.* 1295; quod quidem genus solus de *Tragicis* usurpat *Euripides*.

3. Ἄτμητα, quæ ut secari posse videntur, ita nullum secandi dant signum.

III. Ἄτακτα, quæ nullam habent inter se similitudinem: qualis fertur *Homeri* Margites fuisse; & tales in *Euripide Chori*, *Iphig. in Taur. v.* 1234; *Herc. Fur. v.* 107; *Hec. v.* 1055.

IV. Ἐξ ὁμοίων, quæ *pedum* quidem sunt eorundem, certum autem numerum non habent, quales *Anapæsti*. Et ea sunt

1. Ἀπερίόριστα.

2. Κατὰ περιορισμὺς ἀνίσυς, quibus aliquid (non tantùm *Anapæstica*, sed & alia sic nominantur. Videas *Euripidem in Hec. v.* 1055; *in Ph. v.* 212; 310; & 1502;) nonnunquam brevius interiicitur. *Eur. in Hec. v.* 59.


V. Μικτὰ Systematica sunt, partim κατὰ σχέσιν, partim ex similibus.

VI. Κοινὰ Systematica, quæ hoc quidem modo disposita, verbi gratiâ, sunt è similibus, illo autem, κατὰ σχέσιν.

Et hæc, partim ex Thesauro *Græcæ Poëseως T. Morell*, partim ex *Scaligeri Arte Poëticâ*, excerpta, unà cum non paucis de meo ipsius adnotatis & passim interiectis, dicta sint satis *De Carminum Formis in Cantu Chorico*. Nostri enim instituti ratio non patitur, ut, quod adfatim in se salebrarum habebat, in apertâ luce posito, in iis, quæ clariora, & faciliora sunt, ampliùs immoremur.

SECTIONIS Ima FINIS.

SE-



SECTIO II.

COMPLECTENS

PRÆCEPTA GENERALIA

DE SYLLABARUM GRÆCARUM

Brevitate ac Longitudine.

V*ocales* vel *priores* componunt uniuscuiusque *Dictionis Syllabas*, vel *extremas*. Utrobique reperiuntur, operæ pretium erit inquirere, quibus modis nitendum sit, ut, quoad eius fieri potest, probam *Vocalium* ipsarum *Quantitatem* adsequamur. Quamobrem inferiùs suo loco de *Quantitate Vocalium* in *extremis Dictionum Syllabis* acturus, in præsentiâ de *Quantitate* earundem in *prioribus Syllabis* edissero.

ΠΡΌΠΥΛΟΝ.

Quævis Græca suas sortitur *Syllaba* leges:
Vel *Brevis* hæc fuerit metro vel *Longa* vel *Anceps*,
Seu *prior* exsistat *sedes*, (α) sive *ultima Vocis*.

CAP.

(α) Sedes *ultima* Vocis, ideſt, *ultima Dictionis Syllaba*: Sedes *prior*, ideſt quævis *Syllaba ultimam* antecedens, qualis esset, ex. gr. *Penultima*, *Antepenultima*, &c.

CAP. I.um

De Vocalium in prioribus cuiusvis Dictionis Syllabis exstantium Quantitate.

QUantitas *Vocalium* in *prioribus Syllabis* novem modis dignoscitur. I, *Vocali* ante *Vocalem*. II, *Positione*. III, *Accentu*. IV, *Dialecto*. V, *Contractione*. VI, *Derivatione*. VII, *Compositione*. VIII, *Incremento*. IX, *Usu* atque *Auctoritate*.

PRÆCEPTVM I.um

De Vocali ante Vocalem.

VOcalem Graius, quæ sit vel *Longa* vel *Anceps*,
Corripuit, plerunque aliâ subeunte, Poëta;
Utraque, nec refert, an *Voce* (α) moretur in unâ,
Insita diversæ maneat vel singula *Voci*.

INTERPRETATIO.

GRæcus Poëta plerunque corripit *Vocalem*, *sive hæc naturâ fuerit* Longa, *sive* Anceps, *sicubi post ipsam* Vocalem *Longam vel* Ancipitem *alia* Vocalis (*seu* Diphthongus) *subsequatur. Ambæ autem* Vocales, *idest*, *præcedens & subsequens simul in unâ* Dictione *more Latinorum vel sunt*, *vel*, *quod Græcorum proprium est & peculiare*, *altera in* fine *præcedentis*, initio *subsequentis* Dictionis *altera*, *absque* Præcepti *dispendio*, *esse poterit*.

AD-

(α) Vocabulum *Vox* hoc in loco accipiendum pro *Dictione*, quæ propriè à Græcis dicitur λέξις.

ADDITAMENTA.

I. *Vocalis Anceps* dicitur eo tantùm ſenſu apud Græcos, quòd in quibusdam *Syllabis* ſit *Longa*, in aliis verò *Brevis*. Differt autem à *Communi*; *Communis* enim *Vocalis* illa eſt, quæ in eâdem *Syllabâ*, poteſt pro libito produci, vel corripi.

II. De *Vocali* naturâ *Longâ*, atque etiam *Ancipite* ante aliam *Vocalem*, vel *Diphthongum* ſupra dumtaxat egi; de *Vocali* verò ſuâpte naturâ *Brevi* ante aliam *Vocalem* nulla in hoc *Præcepto* mentio facta eſt; quippe quæ, ut corripiatur, alterius *Vocalis* continuatione non indiget, *Brevis* quùm ſit vel *Conſonantem* præcedens. Immò, quoties *Vocalis* naturâ *Brevis* ante *Vocalem* producitur, neque iam huic factæ productioni ulla (α) Poſitûs ratio ſuppetias venit, inuſitata prorſus erit iſta *Proſodia*, & conſequenter Iuvenibus in Græcâ Poëſi Tironibus minimè commendanda. Quâ de re ad *vocem* ἀποειπὼν *Iliad.* τ́, *v.* 35; rectè admodum hæc adnotavit *Samuel Clarke*: " Nullâ „ ex *Analogiâ* produci poteſt iſtud ό. Pronuntiabatur for- „ taſſe ἀπϝειπὼν, vel, apoweipon. „ Quæ quidem ingenioſa ſatis, ut opinor, & probabilis coniectura fuit; aliàs enim *Vocalis* naturâ *Brevis* ante *Vocalem* producta, nulla mihi, ut ſanaretur, medela præſto erat.

III. Sicubi, ut producatur *Vocalis* naturâ *Brevis* ante *Vocalem*, neque alterius *Vocalis*, neque *Duplicis Conſonantis* W fieri poteſt inſertio, qualis facta eſt in *voce* ἀπϝειπὼν, & apoweipon; tunc mutato opus eſt. Hinc huius rei non ignarus *Ios. Barneſius* ad *Batrachomyomachiæ Ver.* 75;

Τ' ὕδασι πορφυρέοισιν ἐκλύζετο· πολλὰ δ' ἔβόα,

ubi non rectè producitur *media vocis* ἔβόα, locum ex Codice

(α) De *Poſitu*, cui aliquando ſubiacet *Vocalis* naturâ *Brevis* ante aliam *Vocalem*, conſulendum eſt Præceptum III. De *Poſitione*, in Additam. III.

dice quodam Vetere MS.to emendavit, ac pro πολλὰ δ' ἐβόα, scripsit πολλὰ δ' ἐβώςρει. Et hæc verior accipiendi ratio. Ceterùm pro variandâ lectione nobiscum facit & *Maittairius*, qui in uno MS.to ad hunc *Versum* legi notat;

Κύμασι πορφυρέοισι δ' ἐκλύζετο, πολλὰ δακρύων.

Quod etiam firmatur ex eiusdem *Batrachomyomachiæ Vers*. 68.

IV. *Vocalis Longa* vel *Anceps* ante aliam *Vocalem* non corripitur necessariò; sed utraque poterit vel produci, vel corripi, prout ipsamet *Carminis* ratio, lepos,& gratia postulabit. Quùm autem *Vocalis* naturâ *Longa* ante *Vocalem* corripitur, non id ἀλόγως, sed certâ quàdam ac constanti ratione fit; eliditur enim mediâ ex parte *Vocalis Longa*, seu, ex duplici, quo, constat, *Tempore*, remanente uno, tollitur alterum (hoc est ex λόγῳ, quod valet λόγοο, propter *Vocalem initio sequentis Dictionis*, fit λόγο'); atque ita *Longa Vocalis* unius dumtaxat *Temporis* effecta, rectè corripitur. Quamobrem immaniter peccant, qui eiusmodi *Vocales* naturâ *Longas* ante aliam *Vocalem* adstruunt correptas ex *solâ metri necessitate*, nullâ omnino suffragante ratione. Animadversum tamen heic volo, naturâ *Longas Vocales* ante aliam multò parciùs corripuisse Græcos Poëtas, quàm vulgò creditur.

V. *Vocales* naturâ *Longas*, præter ή & ώ, *Ancipites* etiam intelligo, quatenus hæ uni inhærentes *Dictioni*, in quibusdam vel *Casibus* vel *Temporibus* ante *Consonantem* perpetuò constanterque apud Græcos Poëtas occurrunt productæ, licèt in aliis ante *Vocalem* interdum correptæ sint. Sic ῑ in *Verbo* μηνίω, quod semper *Homero* producitur in *Futuro* I.mo, & *Aoristo* itidem I.mo, ubi *duæ Vocales* non concurrunt, erit naturâ *Longum*, licèt in *Præsente &c.* propter sequentem *Vocalem Odyss.* ρ', ν. 14. & alibi corripiatur. Similiter in *Verbis* ποιπνύω, λύω, θύω, ῥύω *&c.* semper naturâ *Longum* effertur ῡ, quia in *Futuro* I.mo, & *Aoristo* itidem I.mo perpetuò occurrit productum.

VI.

VI. Latâ Græcorum Poëtarum lege non solum corripitur *Vocalis*, quando ei altera *Vocalis* in eâdem *Dictione* succedit, sed etiam quando *Vocalis* consequens diversæ ineſt *Dictioni*; quod quidem nunquam aliàs usuvenit, quàm, quùm una ex *Vocalibus priorem Dictionem* absolvit, altera verò inchoat *posteriorem*. Et hic profectò sensus est, quem exprimunt duo sub *finem* huius *Præcepti Versiculi*. Verùm infra exemplo res fiet manifestior.

VII. *Diphthongus* subsequentis *Vocalis* more Latinorum vicem obit.

EXEMPLA.

(1)
Βέβληαι, ȣ̓δ' ἅλιον βέλος ἔκφυγεν· ὡς ὄφελόν τοι. *Hom. Il.* λ', *v.* 380.
(2)
Ἥρωος. ἀλλ' ὁπότ' ἄν σε δόμοι κεκύθωσι κ) αὐλή. *Hom. Od.* ζ', *v.* 303.
(3)
Φοινήεντα δράκοντα φέρων ὀνύχεσσι πέλωρον,
(4)
Ζωὸν ἔτ' ἀσπαίροντα· *&c.* . . . *Hom. Il.* μ', *v.* 202; *& seq.*
(5)
Αἴκα τῆνος ἕλῃ κεραὸν τράγον αἶγα τὺ λάψῃ. *Theoc. Idyll.* ά, *v.* 4.
(6)
Αὐτὰρ ὁ βȣ̃ν ἱερεῦσεν ἄναξ ἀνδρῶν Ἀγαμέμνων. *Hom. Il.* β', *v.* 402.
(7)
Τῶν αὖθ' ἡγείσθην Ἀσκληπιȣ̃ δύο παῖδε. *Hom. Il.* β', *v.* 731.
(8)
Ἥρως Πρωτεσίλαος ἀρήϊος. ȣ̓δέ τι λαοί. *Hom. Il.* β', *v.* 708.
(9)
Πίονα μηρί' ἔκηε βοὸς Διῒ τερπικεραύνῳ. *Hom. Il.* λ', *v.* 773.
(10)
Κυάνεοι δὲ δράκοντες ὀρωρέχατο ποτὶ δειρήν. *Hom. Il.* λ', *v.* 26.
(11)
Πλάγχθη, ἐπεὶ Τροίης ἱερὸν πτολίεθρον ἔπερσε. *Hom. Od.* ά, *v.* 2.
(12)
Ὥς ὄλεκον Τρῶας παλινορμένω. αὐτὰρ Ἀχαιοί. *Hom. Il.* λ', *v.* 326.

(1) *Vox* βέβληαι *mediam* corripit, aliàs naturâ *Longam*, propter ſequentem *Vocalem* in eâdem *Dictione*, quod & ferri poteſt, tanquam *Præcepto* uniforme. Hinc collige, quàm malè multarint nonnulli Vett. Poëtarum Græcorum Scripta, in quibus occurrit ή *Breve* ante *Vocalem* in eâdem *Dictione*. Exemplo præ omnibus ſit *vox* δηΐοιο ex optimâ & quàm-emendatiſſimâ *Homeri* Editione *Londinenſi* apud *Iohannem & Paulum Knapton.* an. 1754. ad *Iliad.* β', *v.* 415; quæ ab iſtis male feriatis Criticis corrigitur δαΐοιο, vel δαΐοιο; quùm tamen *vulgata* Lectio proba ſit, nec opus habeat mutato.

(2) Ad *vocem* ἥρωος *Ios. Barneſii* hæc verba ſunt: „ Obſervanda eſt Συνεκφώνησις, ſive Συνίζησις *Vocalium* ώ „ & ό. Duæ enim *ultimæ Syllabæ* coaleſcunt, quaſi ἥρῶς „ ſcriberetur. „ Verùm (uti & ipſe poſtea adnotavit *Barneſius*, referente *Sam. Clarkio* ad *Odyſſ.* ζ', *v.* 303;) etiam corripi poteſt iſtud ώ propter ſequentem *Vocalem*; quod enim in *omnibus* fit *vocabulis*, ut *ultimâ* in *Syllabâ Vocalis Longa*, ſequente aliâ *Vocali dimidiâ ex parte elidi*, hoc eſt, *corripi* poſſit: id *nonnullis* in *vocabulis*, etiam in *Syllabis* non *ultimis*, fieri itidem poteſt. Exemplum autem, quod hanc in rem adfert *Iacobus Gretſerus* de *Diphth. & Vocal. Cap. IV. num. IV.* ex *Sapphûs Epigrammate*, certe non moror; nam quod ibi exponit *Vir Eruditus* κακοζώϊας, emendatiores Editiones præferunt κακοζοΐας.

(3) Φοινήεντα.) Utrobique *Vocalis* naturâ *Longa* ή &

(4) Ζωόν.) ώ, remanet *Longa*, utraque licet *Vocalem* in eâdem *Dictione* antecedat. Immò, ſi quis euret Græcos Poëtas aliquantiſper evolvere, dubio procul rariora inveniet exempla *Vocalis* naturâ *Longæ* ante *Vocalem* in eâdem *Dictione* correptæ, quàm productæ. Interim videas *Hom.* ad *Iliad.* λ', *v.* 225 & *Callimach.* ad *Hym.*

Hym. in Dian. v. 83; *in Lav. Pallad. v.* 133; & *in Apollin. v.* 71.

(5) Κεραόν.) *Vocales Ancipites*, quæ vulgò tres apud
(6) Ἱερεῦσεν.) Græcos circumferuntur, ά, ί, ύ, in
(7) Δύο.) tribus his *vocibus* corripi, propter aliam ſequentem in eâdem *Dictione Vocalem*, non nemo videt.

(8) Λαοί.) E' converſò, tres eædem *Ancipites*
(9) Πίονα.) ά, ί, ύ, quantumvis *Vocalem* præce-
(10) Κυάνεοι.) dant, producuntur in tribus hiſce aliis *vocibus* in eâdem pariter *Dictione*. Et hæc quidem ratio fuit, cur huic *Præcepto* adverbium *plerunque* interſerui.

(11) Πλάγχθη.) In utrâque *voce ultima*, quæ ſuâ-
(12) Παλινορμένω.) pte naturâ *Longa* eſt, propter *Vocalem* ſub *initium* ſequentis *Dictionis* exſiſtentem, corripitur. Et hæc quidem licentia Poëtis Græcis conceſſa eſt, ſecus verò Latinis. Quùm autem eiuſmodi naturâ *Longæ Vocales* in *fine Dictionis*, propter ſequentem *Vocalem*, quæ proximè venientem *Dictionem* inchoat, rectè corripiantur, corripi citra mendum poterunt etiam *Ancipites* quibuſcunque in locis vi alicuius *Præcepti* iſtæ erunt productæ. Exempla verò id genus occurrunt in omnibus ferè Poëtarum Græcorum paginis.

Ceterùm *voces* πλάγχθη, & παλινορμένω legendæ ſunt æque ac ſi ſcriptæ fuiſſent πλάγχθε', παλινορμένο'; atque ita *Syllabæ ultimæ* earundem *Vocum* uno tantùm *Tempore* conſtabunt, ſecundùm adnotata ad *Addit. in hoc Præcept. num. IV.* Idem erit de ſimilibus adfirmandum.



PRÆCEPTUM II.um

De Diphthongis.

OMnis *Diphthongus* Græcis ex Legibus orta,
Quæ *Longa* eſt aliàs, *mediis* in *vocibus* ante
Vocalem poſita interdum, vel ſola quieſcens
Syllabâ in *extremâ*, quando ex *Vocalibus* una
Principium verbi fuerit ſortita ſequentis,
Correptis AI' & OI' meliùs, variabilis eſto.

INTERPRETATIO.

DIphthongus *omnis*, (*hoc eſt ſive* Propria *ſive* Impropria *vulgò dicta*) *ad Græcæ Grammatices regulas exacta*, *quæ aliàs* Longa *eſt*, *ubi reperitur in* mediis Dictionibus *ante* Vocalem, *vel ſola* (*a*) *quieſcit in* ultimâ Syllabâ, *ante* Dictionem *incipientem à* Vocali, *exceptis duabus* Diphthongis AI', & OI', *quæ meliùs corripiuntur*, *poterit pro arbitrio corripi*, *vel produci*.

ADDITAMENTA.

I. Sunt qui AI', & OI' *Diphthongos* corripi poſſe, ſequente *Conſonante* ſub initium proximè venientis *Dictionis*, contendunt. Verùm, ſi hoc nobis perſuadere potuerint, per me quidem & Lunam de cælo ſe deducturos promittant. Quùm autem, qui in hoc grege ſunt, loca quædam proferant, ut ſuæ ſententiæ patrocinium ſubſci-

(*a*) Sola, ideſt, non habens ante ſe aliquam *Conſonantem*; qualis eſſet ante *Diphthongos* αί & οί in *Vocibus* μῦσαις, & λόγοις, ſed ut πάλαι, & ξεῖνοι.

ſcipiant, operæ pretium erit, coram huc nonnulla ſaltem adducere, & examinare; nam quantùm ego augurari queo, aut fidei incertæ erunt & perditæ, aut manifeſti mendi convincentur.

I.mo Colligunt eſſe *Brevem Diphthongum* ΑΙ' ante *Conſonantem* ex *Hom. Iliad.* ί, *v.* 414.

Εἰ δέ κεν οἴκαδ' ἵκωμαι φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν.

Ita quidem Editiones, quæ exſtant omnes, exceptâ Londinenſi cum Adnotationibus *Sam. Clarke*, *an.* 1754, in quâ pro ἵκωμαι legitur ἵκοιμι; quomodo *Odyſſ.* μ', *v.* 345;

Εἰ δέ κεν εἰς Ἰθάκην ἀφικοίμεθα &c.

Sed vix dubito, quin *Homerus* ſcripſerit, ἵκωμαι ἐμήν; ut alibi dixit, & nominatim ad *Odyſſ.* ζ', *v.* 315;

Οἶκον ἐϋκτίμενον καὶ σὴν ἐς πατρίδα γαῖαν.

II.do Ex *Hom. Iliad.* ί, *v.* 395;

Πολλαὶ δ' Ἀχαιΐδες εἰσὶν ἀν' Ἑλλάδα τε Φθίην τε.

At verò hîc expungendum eſſe τὸ δ', coecus eſt qui non videt.

III.tio Ex *Arato* Φαινομ. *v.* 573;

Ἥμισυ μέν κεν ἴδηαι μετήορον, ἥμισυ δ' ἤδη;

ubi reponendum ἴδοιο. Poteris etiam legere ἴδηαι ἀπήορον, ſed magis arridet τὸ ἴδοιο.

IV.to Ex *Orpheo* Μοιρῶν *ſuffimine*: pro corripiendâ ante *Conſonantem Diphthongo* ΟΙ'.

Ἀλλά μοι νυκτέριοι, μαλακόφρονες, ἠπιοθύμοι.

Ego verò, unâ cum *Richardo Bentleio*, ſic corrigo,

Ἀλλά μοι εὐκταῖαι &c.

αἱ, & ἑ in Codd. MS.tis ſæpiſſime inter ſe permutantur. Et idem *Orpheus ſuffimine Gratiarum* habet:

Εὐκταῖαι, κυκλάδες, καλυκώπιδες, ἱμερόεσσαι.

Poteris etiam legere, Ἀλλά νυ νυκτέριαι; ſed illud magis probo, ut ſententiæ auctoris magis accommodatum.

Et ſic tandem examinabimus loca omnia, quorum nonnulli, ut diximus, auctoritate freti ΑΙ' & ΟΙ' corripi volunt, ſequente *Conſonante*. Tu verò, cordate *Lector*,

ctor, rem cognoſcas, & ſuffragium feras. Quoquo verò modo res habeat, committi certe non poteſt, ut Pueri *Diphthongos* eiuſmodi ante *Conſonantem* corripiant.

II. *Homerus Iliad. ά, v.* 169;

Νῦν δ' εἶμι Φθίηνδ' ἐπειὴ πολὺ φέρτερόν ἐςι,

corripit *Diphthongum* EI' ante *Vocalem* in eàdem *Dictione*; quod & alii ad *Homeri* imitationem aliquando fecerunt. Verùm id Poëtis *Atticis* non licuit, propterea ab his de duabus *Vocalibus* E' ſolet elidi.

III. *Diphthongus* OΥ' corripi nequit ante *Conſonantem*. Quare ad *Homeri Odyſſ.* π', *v.* 387;

Εἰ δ' ὑμῖν ὅδε μῦθος ἀφανδάνει, ἀλλὰ βύλεσθε,

ubi *prima vocis* βύλεσθε corripitur, vel erratica lectio eſt pro βόλεσθε, ab obſoleto *Verbo* βόλω, ut & *Vir Eruditus Tho. Bentleius* in uno MS.to expreſſum repperit; vel, ſi proba lectio ſit, *Boeotica* ibi *Dialectus*, quæ hanc ipſam *Diphthongum* OΥ' ante *Conſonantem* corripit, locum habet, ut infra dicam in *Adpend.* ad *Præcept. VI. De Dialectis*. Ceterùm nullâ aliâ ratione excuſari poteſt. Notandum porro, *vocem* ἀλλὰ in prolato *Verſiculo* non rectè ſe habere. Nam, uti obſervat *Euſtathius*, recenſente *Samuele Clarkio* ad *Odyſſ.* π', *v.* 387; τὸ " Εἰ δ' ὑμῖν ὅδε μῦθος ἀφανδάνει, ἀλλὰ βύ„ λεσθε Αὐτὸν ζῆν „ ἄρσεώς τινος λείπεται· οἷον, εἰ δὲ ἀφανδάνει, καὶ ὒ δοκεῖ καλὸν ὁ φόνος, ἀλλὰ βύλεσθε αὐτὸν ζῆν. Unde videtur magis veriſimile mendoſi hìc aliquid latere.

IV. *Diphthongi* AI', EI', OI', ΥI', quotieſcunque ſequente *Vocali* protrahuntur; perinde concipiendæ ac pronuntiandæ ſunt, ac ſi *Vocalis*, vel potius *Conſonans* ἰῶτα gemina haberetur; ſic AII' &c.

V. Poſt factam *Apocopen Diphthongum* corripi nunquam licitum apud Græcos Poëtas.

EX-

EXEMPLA.

(1)
Τὸν δ᾽ αὖτ᾽ Εὐρύαλος ἀπαμείβετο νείκεσέ τ᾽ ἄντην. Hom. Odyss. θ΄, v. 158.

(2)
Βύλεται ἀντιάσας ἡμῖν ἀπὸ λοιγὸν ἀμῦναι. Hom. Il. ά, v. 67.

(3)
Δεξιὸς οἰκιστήρ· ϗ ὤμοσε τείχεα δώσειν. Callimach. Hym. in Apoll. v. 67.

(4)
Ἠ, ϗ Πείραιον προσεφώνεε πιστὸν ἑταῖρον. Hom. Odyss. 6, v. 538.

(5)
Πείραιε Κλυτίδη, σὺ δέ μοι τά περ ἄλλα μάλιστα. Hom. Odyss. 6, v. 539.
Χείλει ἐφεσταότες· ἀπὸ γὰρ δειδίσσετο τάφρος. Hom. Il. μ, v. 52; & seqq.

(6)
Εὐρεῖ᾽, ὥστ᾽ ἄρ᾽ ὑπερθορέειν σχεδὸν, ὥτε περῆσαι
Ῥηϊδίη· . . . .

OBSERVATIONES.

(1) *Versus* hic *Diphthongos* exhibet tres ΑΙ', ΕΙ', ΕΥ' ante *Consonantem* productas. Verùm eadem omnium *Diphthongorum Prosodia*, quia eadem & ratio producendi. Omnis quippe *Diphthongus* necessariò *Longa* est; constat enim ex duabus *Vocalibus* inter se coëuntibus, quarum *Subiunctiva* modò adservatur intacta, ut videre est in *Propriâ Diphthongo*; modò *Præpositivæ* subscribitur, ducto ad inferiorem ipsius partem punctulo sive lineolâ, ut in *Impropria*; & consequenter *Diphthongus* quælibet duplex habet, quo pronuntietur, *Tempus*, idest, *Longum*, quorum alterum elidi nequit, nisi, post *Diphthongum Vocalis* sequatur, uti ad *ultimam vocis βύλεται* in subiectâ *Observatione* videre proclive est.

(2) Βύλεται habet *ultimam Brevem*; ibi enim *Diphthongus* ΑΙ' *in fine* eliditur *mediâ ex parte*, hoc est, corripitur propter sequentem *Vocalem ά, vocis ἀντιάσας*. Hinc collige

non

non solùm AI', sed etiam reliquas omnes *Diphthongos*, sive *Proprias*, sive *Improprias* finales, licèt *Accentu Circumflexo* signatas, *mediâ ex parte elidi*, hoc est, corripi pro arbitrio posse, modò subsequens *Dictio* à *Vocali* vel *Diphthongo* incipiat. Porro hæc omnia Græcæ *Prosodiæ* studiosi observabunt, si adtendant, dum Veterum Poëtarum Græcorum Scripta legent; atque interim consulere poterunt, (non enim huc Auctorum loca totidem verbis transferre, pro institutâ brevitate, licet,) *Homerum Iliad. ά, v.* 30; *-v.* 57; *- v.* 67; *-v.* 269; *γ', v.* 162; *δ', v.* 91; *ζ', v.* 334; *ί, v.* 395; *κ', v.* 292; *μ', v.* 52; &c.

(3) In hoc *Callimachi Versu Syllaba*, seu potiùs *Diphthongus* AI' producitur, licèt subsequens *Dictio* à *Vocali* incipiat, quod & ferri potest, quia ab hoc *Præcepto de Diphthongis* non abludit. Firmatur id insuper ratione non inidoneâ: ibi enim *Diphthongus mediâ ex parte* per subsequentem *Vocalem* non *eliditur*, sed magis *Subiunctiva*, quasi duplicata fuerit, pronuntiatur, ut prædixi ad *Additam. IV.* Nequid tamen dissimulem, *Rich. Bentleius* ad *Callimachi Hym. in Apollin. v.* 67; adlatas rationes non concoquit, ista subnectens "*Syllaba καὶ* non „ rectè producitur, ubi nullus est locus *Cæsuræ*. Quam„ obrem aut legendum *καί τ' ὤμοσε*, aut *καὶ ἐπώμοσε*; „ saltem ut *pes* iste bene fulciatur.„ Sed pace *Viri Eruditi*, nec opus ibi mutato, nec *Syllaba καὶ Vocalem* præcedens necessariò corripi extra *Cæsuram* debet, quia interdum produci rectè queat. Exemplum ex *Hom. Iliad. ί, v.* 685; depromtum rem clariorem reddet.

Κεῖσθαι· ἀλλ' ἐπάμυνον ἔπειτά με κ̀ λίποι αἰών.

Ibi AI' *Diphthongus* cùm extra *Cæsuram*, tum ante *Vocalem posita* in *ultimâ vocis κεῖσθαι* manifestò producitur. Fecit itidem Summus Vates *Homerus* in *Diphthongo* OI'. Videas ad *Odyss. δ', v.* 468.

(4) Πείραιον præfert *Diphthongum* AI' *Longam* in *mediâ Dictione* ante *Vocalem*. Et hæc tutior, si quid egomet

met iudico, tum hanc, tum alias quascunque *Diphthongos* in *mediis Dictionibus* ante *Vocalem*, accipiendi ratio, Tironibus in Græcâ Poësi Iuvenibus maximè commendanda. Firmatur id etiam ex recentiorum Poëtarum Græcorum auctoritate; qui, ut corriperent *Diphthongum* AI' in *mediis Dictionibus* ante *Vocalem*, quandoque etiam ante *Consonantem*, illam mutarunt in ἐ, ac pro φαίακας, Κλυταιμνήςρα scripserunt φέακας, Κλυτεμνήςρα. Mutato fortasse & ipsi usi sunt in aliis *Diphthongis*; quarum exempla impræsentiarum me prætereunt.

(5) In eâdem *voce* Πείραιε eadem *Diphthongus Brevis* est apud *Homerum*, quia *Vocali* præposita. Eandem similiter adfert, & corripit *Tyrtæus de Virt. Bell. in fin.* ad *vocem* γεραίυς. Nec idem *Homerus* alienus est, ubi de *Diphthongis* in *mediis Dictionibus* ante *Vocalem* exsistentibus agitur, ut OI', & EI' corripiat *Odyss.* ύ, *v.* 89; *Iliad.* ὐ, *v.* 276; *Odyss.* ή, *v.* 312; – ύ, *v.* 379; *Iliad.* ά, *v.* 169. &c.

Quocum facit & *Lucianus* in *Epigrammatis*, *Grævianæ Edit. Vol. I. pag.* 731. ad *vocem* ποιήσας *primâ* correptâ. Verùm huiusmodi exempla sine numero sunt apud Comicos & Tragicos Scriptores.

Brevibus hisce in *mediis Dictionibus* ante *Vocalem* demonstratis *Diphthongis* addenda est & altera *Impropria* YI', probante eodem *Homero* ad *Iliad.* λ', *v.* 200; & si quæ aliæ occurrant apud Classicos Auctores. Ne autem ista imperitis vitio laborare videantur, animum solerter advertant necesse est, quod licitum in *Syllabis ultimis*, ut omnis *Diphthongus* ante *Vocalem*, quæ initio sequentis *Dictionis* sit, *mediâ* ex *parte* elidi, hoc est, corripi queat, hoc itidem licere *Syllabis intermediis*; quamvis aliquanto rarior hic casus, & Pueris in imitationem nunquam proponendus.

(6) Notandum hìc, quàm bene ab *Homero* producitur *Diphthongus* EI' in *ultimâ vocis* εὐρεῖ', post factam *Vo-*

 calis

calis & per *Apostrophum* amputationem, sive *Apocopen*; non enim potest alia *Vocalis*, à quâ *Dictio* subsequens inchoatur, duo simul uno eodemque tempore perpetrare, nimirum, *Vocalem* præcedentis *Dictionis expellere*, & *Diphthongum mediâ* ex *parte*, ut corripiatur, elidere. Et hæc ratio, ni fallor, est, cur *Diphthongus* ΕΙ' in prolato exemplo *Longa* sit, & quævis alia semper post *Apocopen* produci debeat. Vide de hâc re *Homerum Iliad.* ἑ, *v.* 272; — χ', *v.* 239; *Odyss.* δ, *v.* 485. &c.



PRÆ-

PRÆCEPTVM III.um

De Positione.

PRoduces *Rapidam Positu*, si *Consona* bina;
Quæ binas feriunt *Vocales*, iuncta sequantur:
At si, post *Rapidam*, *Duplex*, vel *Consona* bina,
A' quibus ordiri *Verbum* (a), vel *Syllaba* possit,
Spiritus aut *Asper* sequitur, vel *Consona* tantùm,
Quæ solet in *mediâ* geminam se prodere *voce*;
Tunc *Rapidam* poterit variare utcunque Poëta.
Nil facit ad *Positum* quandoque in *Carmine Sigma*.

INTERPRETATIO.

VOcalis *naturâ* Brevis *producitur* Positione, *si duæ post ipsam sequantur* Consonantes, *quarum una ad præcedentem, altera ad sequentem* Vocalem *spectet*. *Si verò post* Brevem Vocalem *sequantur* 1.mo Duplex, 2.do Consonantes *duæ, à quibus inchoari* Syllaba, *vel* Dictio *possit*, 3.tio Vocalis Aspirata, 4.to Consonans simplex, *solita* interdum *geminari in* mediis Dictionibus; *tunc Poëtæ ius fasque erit* Brevem *naturâ* Vocalem *pro arbitrio producere vel corripere*. Sigma *cum aliâ iunctum* Consonante nonnunquam *ad constituendam* Positionem *non concurrit*.

ADDITAMENTA.

I. De *Vocali Longâ* hoc in *Præcepto* non agimus; nam quibus in *Syllabis Vocalis* naturâ sit *Longa*, hæ,

 si vel

(a) *Verbum* hoc in loco ponitur pro *Dictione*.

si vel una sequatur *Consonans*, & multò magis si binæ sequantur *Consonantes*; hæ, inquam, *Syllabæ*, ut corripiantur, nullâ unquam licuit Licentiâ. Vide infra ad *Sect. III. Cap. II*, ubi de Licentiâ, quam adpellant, *Poëticâ* sermo est.

II. Ut *Vocalis* naturâ *Brevis* propter *Positionem* produci certò possit, id unum exquiritur, scilicet, ut *Consonantes* binæ ad sequentem *Vocalem* non spectent; sed altera præcedenti iungenda sit *Vocali* in *Syllabarum* divisione, altera verò subsequenti, hoc est, ut feriant binas *Vocales* anteriorem, nimirum, & posteriorem. Hinc parum interest, an *Brevis* cum *Consonantibus* duabus in eâdem *Dictione* sit, vel sola in *ultimâ Dictionis* alicuius *Syllabâ*, & *Consonantes* binæ, vel *Littera Duplex* sub *initium* sequentis (a) *Dictionis*, vel tandem *Vocalis Brevis* in *ultimâ* reperiatur *Syllabâ* cum unâ *Consonante*, & ab alterâ *Consonante* sequens *Dictio* inchoetur. Qui casus eòdem semper redeunt, ut *Brevem Vocalem* positum, eant ante binas *Consonantes*.

III. *Spiritus Asper* ita intelligendus est, ac si in *Præcepto* haberetur *Vocalis*, seu *Diphthongus Aspirata*; quæ tamen, ut liquet, unâ cum *Brevi Vocali* eidem *Dictioni* inesse non potest, sed necesse est, ut *Vocalis Brevis* in *ultimâ* præcedentis *Dictionis* sit, & *Vocalis*, seu *Diphthongus Aspirata* in *primâ Dictionis* sequentis *Syllabâ* inveniatur. Itaque propter *Vocalem Aspiratam* in *voce* proximè sequentem, *ultima* præcedentis produci potest *Positione*. Ratio autem huius hæc est, quia *Spiritus Asper* sæpe pronuntiabatur tanquam *Æolicum Digamma*, vel tanquam *Consonans* duplicata W, *Littera* apud Germanos maximè usitata, *duplici Consonanti*, idest, Vau respondens; & sic ad *Hom. Iliad.* γ, *v.* 172; φίλε

ἑκυρὲ

(a) Hoc tamen in casu *Vocalis Brevis* necessariò non producitur *Positione*, quin ipsam Poëta Græcus, si velit, possit etiam corripere; quia clara res est, *Consonantes* duas, vel *Duplicem Litteram* ad sequentem *Vocalem* pertinere.

ἑκυρὲ legebatur ferè, tanquam ſi ſcriptum fuiſſet φίλεψ ἑκυρὲ, vel φίλεφφ ἑκυρέ. Similiter ad *Hom. Iliad.* χ', ν. 307; τὸ οἱ ὑπὸ pronuntiabatur æquè, ac ſi ſcriptum fuiſſet Τὸψ ψὸι ὑπό.

IV. Propter *Conſonantem Aſperiorem*, nimirum, λ', vel ρ', quæ quaſi *Duplex* efferri ſolita ſit, ſeu facillimè in *mediis Dictionibus* duplicetur, *Vocalis* alioqui *Brevis* iſto in *Poſitu*, cùm *mediâ* in *voce*, uti ad *Iliad.* έ, ν. 31. Α̎ρες Α̎ρες &c; tum in *fine vocis*, quomodo ad *Iliad.* ύ, ν. 101. .... ὗ με μάλα ῥέα; quaſi pronuntiaretur Ᾱρρες Α̎ρες & .... ὗ με μάλαρ (a) ῥᾶ, produci poteſt, ſi libeat.

Quod quidem quùm *Euſtathium* ex toto fugeret, in cauſsâ fuit, ut ad priorem, quam ſupra ex *Homero*, auctoritatem, adduxi, iſta adnotarit " Vox Α̎ρης *duplicem* habet *etymologiam*; aliam, quùm *primam* producat; aliam, quùm corripiat. " Sed hæ meræ ſunt ineptiæ, & adnotationes minus adtendendæ.

Itaque, quod obſervarunt recentiores Græcæ *Proſodiæ* Scriptores, *Vocalem Brevem*, perinde ac ſi *Communis* eſſet, produci nonnunquam, licèt ſolam *Liquidam* antecedat, ſemper id intelligi debet, quatenus, propter *Poſitionem Conſonantis Aſperioris*, quemadmodum ſupra explicavi, produci poteſt *Brevis Vocalis*, non quatenus eadem ſimplicem *Liquidam* antecedit; quia ſimplex & una *Conſonans* propriè non conſlat *Poſitionem*.

V. Sigma cùm *mediâ* in *voce*, tum in fine *vocis* occurrens, aliquando vim *Conſonantis* amittit.

EXEM-

(a) Sermonis Attici proprium eſt, omnibus verbis à ρ' prout hodie incipientibus *Duplicis Conſonantis* W vim perpetuam conferre.

EXEMPLA.

Εἴ με φιλεῖς, (1) ἔργῳ με φίλει, κ̓ μὴ μ' ἀδίκει σύ. *Lucian. Epig. Etonæ edit. anno* 1767. *pag.* 25.

Εὐχόμενοι βορέω δὲ (2) παρατρέψει ἀνέμοιο. *Arat. in Phænom. v.* 427.

Σκορπίυ ἱππύραια δ' (3) ὑπό σφισι χηλαὶ ἔχυσιν. *Arat. ibid. v.* 438.

(4) Οἵ τε Ζάκυνθον ἔχον, ἠ δ' οἳ Σάμον ἀμφενέμοντο. *Hom. Il.* β' *v.* 634.

Ἀλκμήνη θυγάτηρ λαοσσόυ (5) Ἠλεκτρύωνος. *Hesiod. in Scut. Herc. v.* 3.

Ὥρῃ ἑσπερίῃ κρώζει (6) πολύφωνος κορώνη. *Arat. in Progn. v.* 270.

Χαλκίδα τ', Εἰρέτριάν τε, πολυςάφυλόν θ' (7) Ἱςίαιαν. *Hom. Il.* β'; *v.* 537.

Ἡρώων, αὐτὺς (8) δ' ἑλώρια τεῦχε κύνεσσιν. *Hom. Il. ά, v.* 4.

OBSERVATIONES.

(1) *Vox* ἔργῳ ſuum ἑ, aliàs naturâ *Breve*, hîc propter *Poſitionem Conſonantium* duarum ῥ, & γ́ producit; quod & nullâ unquam licentiâ corripi fas erit, ideò quia *Conſonantes* illæ binæ non pertinent ad ώ; ſed altera in formandâ *Syllabâ* incedit cum ἑ, altera cum ώ conſociatur; ita porro *vox* ἔργῳ in *Syllabas* partiri recte debet ἔρ – γῳ, non ἔ – ργῳ. Res adeò nota eſt, ut pluribus exemplis non indigeat.

(2) Παρατρέψει habet *penultimam Longam*; quod ſoli *Poſitioni* debetur. Etenim, ut eadem *Syllaba* τρέ bene etiam corripi ante ψ poſſit, nullus eſt ambigendi locus, ſequentis *Canonis* ratione habitâ " *Syllaba* naturâ
„ *Brevis* in *Vocalem Brevem* deſinens, ſequentibus in eâ-
„ dem *voce Conſonantibus* duabus, à quibus *Dictio* vel *Syllaba*

„ *laba* inchoari queat, quæ in Oratione ſolutâ ſemper corri-
„ pitur, in *Heroico Carmine* contrahi, vel produci pro arbi-
„ trio poteſt. „ Hinc naturâ *Breves Vocales* ante duas *Conſonantes*, vel *Litteram Duplicem*, (*Duplex* enim *Littera* duabus æquivalet *Conſonantibus*,) corripi poterunt, immò corripiuntur à probatiſſimis etiam Poëtis in ſequentibus *vocibus* τέχνη, τέκνον, ϛαθμὸς, ὕπνος, ϛέψω, ἀτρακτυλίδες, ἄγρυπνος, ῥυθμὸς, πυκνοὶ, τρύχνα, ὀκνηρὸν, δάφνιν, ἀριθμητοὶ, μαϛεύων, καπνὺς, δάκνει, ἴχνος, τέκμαρ, δυϛέκμαρτον, κύκνος, ἐκνῦμαι, προσπιτνῶ, δραχμὴ, ἀκμὴ, ἐρετμὸς, πότμος, λύχνος. *&c.* Hæc autem enumero, nè fortè, ſi occurrant, neſcio Lectori iniiciant ſcrupulum, vel certè Tirones in hos imaginarios, ut ita dicam, impingant ſcopulos. Ceterùm *Barneſius*, cui fortaſſe antedictus *Canon* erat ignotus *Iliados* ρ', *v.* 89;

Ἀσβέϛῳ· ἐδ' υἱὸν λάθεν Ἀτρέος ὀξὺ βοήσας·

edidit

Ἀσβέϛῳ· ἐδ' υἷα λάθ' Ἀτρέος ὀξὺ βοήσας·

ſed mutato ibi nihil opus, quùm *Syllaba media vocis* “ ἀσβέϛῳ „ hoc in loco per quam-optimè corripiatur.

(3) Ὑπὸ *Præpoſitio*, quam *vox* σφίσι à duabus *Conſonantibus* incipiens continuò ſubſequitur, in *ultimâ Syllabâ* propter iſtam *Poſitionem*, extenditur. Quæ licentia Latinis Poëtis non eſt conceſſa. Aliæ quoque rationes non inidoneæ ſuccurrunt, quare produci poſſit eadem *ultima*; ſed illas exponere non eſt huius loci.

(4) Hoc in *Verſu* Coniunctionem *Copulativam* τὲ *Homerus* corripit ante *Duplicem* in principio proximè ſequentis *Dictionis*; quomodo & ferri poteſt; Quod enim in *mediâ voce* fit, ut *Syllaba* naturâ *Brevis* in *Vocalem Brevem* deſinens ſequentibus duabus *Conſonantibus*, à quibus inchoari *Dictio* poſſit, hoc itidem fieri certò poteſt & *ultimâ* in *Syllabâ*, quando hæc naturâ *Brevis* eſt, & in *Vocalem Brevem* deſinit, & ſequens *Vocabulum* à duabus *Conſonantibus*, vel à *Litterâ Duplici* inchoa-

choatur. Ex quo fit, ut neque ad hunc locum mutato opus sit, Ex. Gr. ut pro Ζάκυνθον scribatur Σάκυνθον, quomodo & scripserunt nonnulli, minus rectè, ut opinor; neque ad *Iliad.* ζ', *v.* 402. ut *ultima vocis* præcedentis καλέεσκε corripiatur, *vox* consequens Σκαμάνδριον, scribenda quoque sit Σκαμάνδριον. Quam lectionem nunquam, quod sciam, *Vulgatæ Iliados* Editiones usurparunt.

(5) In Ἠλεκτρύωνος *secunda* naturâ *Brevis* ante *Consonantes* tres in eâdem *Dictione* corripitur; ratione in *Observ.* ad *vocem* παρατρέψει superiùs adductâ; nisi *vox* propter Συνίζησιν scribenda sit Ἠλεκτρῦνος, adinstar *vocis* ἥρωος, quæ propter eandem *Figuram* iuxta *Barnesium* scribitur ἥρῶς, & consequenter illud ι *Longum* accipiendum.

(6) Πολύφωνος κορώνη. Ita habent *Vulgatæ* Editiones. Quibuscum legit *Conradus Dinnerus Verbo* κορώνη, & *Iacobus Gretserus* in *Institut. Ling. Græc. Cap. II. De Positione*. Sed *Hugo Grotius* in Adnotatis ad *Aratum* præfert πολύφωνα κορώνη; quo in casu illud πολύφωνα *adverbialiter* ad τὸ κρώζῃ referendum est, velut ἥσυχα ποικίλλουσα *Versûs* præcedentis. Utraque lectio proba est, sed illa mihi videtur melior, quæ sine elisione τοῦ σ' effertur; tunc enim σ' vel amittit vim *Consonantis*, uti dicebam in *Add.* ad hoc *Præceptum num. V.* vel idem σ' eò loci perinde habendum, ac si *Verbo* κορώνη inhæreat, ad hunc prorsus modum πολύφωνο - σκορώνη; quâ in Lectione *ultima vocis* πολύφωνο, ante σκὸ sequentis *Dictionis initium*, corripitur, haud secus ac *Syllaba* τὲ ante *Initialem Duplicem*, vel κὲ ante binas *Consonantes* in principio sequentis *Dictionis*, de quibus sermo fuit in præcedenti *Observatione* ad *num.* inter uncinos clausum (4). Aliàs illud σ' *ultimâ* in *Syllabâ* vim *Consonantis* amittit, & quasi *Sibilus* reputatur.

(7) Ἐρίσιαν *priorem Syllabam* corripit ante σ', & τ'. Quare vel ibi illud σ' *mediâ* in *voce* vim *Consonantis* amittit,

tit, vel correpta *Vocalis* ante binas *Consonantes* sanari debet, ex adnotatis superiùs ad *vocem* παρατρέψει. Certè fuerunt, qui legerent Ἰτίαιαν. Sed nihil opus. Nihil enim usitatius apud Græcos Poëtas, quàm *Syllabam Vocali Brevi* constantem, sequentibus duabus *Consonantibus*, à quibus *Syllaba* inchoari possit, corripi. Notandum tamen, in *Poëmate Epico*, ubi oratio grandis & sublimis esse debet, & à sermone *vulgari* quàm maximè distans, huiusmodi *Syllabas* multò rariùs correptas occurrere, quàm in quibusvis aliis *Poëmatibus*.

(8) Ἐλώρια. Soli debetur *Positioni*, quod in hâc *voce* producatur ἑ. *Vox* enim ista vulgò, ut opinor, pronuntiabatur cum *duplici* λ', cuius *Litteræ* geminatio *mediis* in *vocibus* apud Græcos frequenter est usitata; vel cum *duplici Consonante* W, æquè ac si scripta fuisset ἑwλώρια. Ex quo fit, ut, propter istam *Positionem*, istud ἑ rectè produci possit. Ceterùm similium *vocum*, quæ *Vocalem Brevem*, ante unicam *Litteram Consonantem* vel λ', vel ρ', alioqui in *mediis Dictionibus* geminari solitam, exhibent, non absimilis erit interdum *Prosodia*, quùm & in istis, quotiescunque opus sit, tum geminatio *Consonantis* λ', vel ρ', tum *duplicis Consonantis* W insertio, qualis facta est in *voce* ἑλώρια, itidem fieri certè possit. Ut innumera ad hoc firmandum silentio præteream exempla, unum dumtaxat profero *vocis*, nimirum Αἰόλε, ex *Homeri Odyss.* κ', *v.* 36; depromtum, cuius *secunda* ab *initio* extenditur *Syllaba* solâ *Positione*, perinde ac si scriptum fuisset Αἰόλλε, sive Αἰόwλε, quemadmodum, ut opinor, pronuntiari debuerat. Notandum insuper, quod utique fit *mediis* in *vocibus*, ut *Vocalis* naturâ *Brevis* ante λ', vel ρ' quandoque produci possit, idem fieri etiam posse, iuxta Recentiores *Prosodiæ* Scriptores, quùm *Vocalis* naturâ *Brevis* in *ultimâ vocis* præcedentis *Syllabâ* reperitur, & sequens *vox* incipit à λ', vel ρ', quamvis & propter *Pausam*, quâ *vox* finitur, *Brevis* illa *Vocalis*, licèt

extra *Cæsuram*; quomodo inferiùs dicam, produci queat; ut *ultima vocis* πολλὰ ad *Homeri Iliad*. χ', ν. 91; nullâ habitâ ratione sequentis *vocis* λισσομένω à λ' incipientis.

Tandem hoc in loco Tirones monitos volo, ne ipsi fortè in id, quod sanum est, mendum irrepsisse suspicentur, *Vocalem* naturâ *Brevem* produci posse non solùm ante unicam vel λ', vel ρ', veluti supra dictum est, sed etiam ante unicam vel μ', vel ν'; (quamvis idgenus exempla aliquanto rariùs contingant,) quia & istæ *Semivocales Liquidæ*, quùm *Vocalem* naturâ *Brevem* præcedunt, *Consonantem* Vau ante se pronuntiari commodissimè patiuntur.

Ad complementum huius Observationis, dum *Callimachum* studiosè propero, in eum locum tandem incidi, ubi Poëta hic præstantissimus, sequente *Litterâ* μ, *Syllabam* produxit, quam alioqui corripuisset. Locus est ad *Hym. in Dianam*, *Versu* 150; quem eo consilio integrum subiicio, quò suum quisque animum explere possit.

Ταῦρον ὅτ' ἐκ δίφροιο μάλα μέγαν, ἢ ὅτε χλόνην.

Itidem inferant Tirones ex *Versu* eiusdem *Callimachi*; qui est 61. ad *Hym.* excit.

Ἀμβολαδὶς τετύποντες. (ἐπεὶ μέγα μοχθήσειαν);

tollendam esse particulam ἐπεὶ, quæ cursum orationis impedit, ac ipsius loco scribendum ἐπὶ, absque eo quod ipsi timeant, ne non stet *Versus*, ac demum similia cum similibus facienda.

Homerus etiam in *Catalogo Navium* refert hunc *Versum*, qui est 168;

Τληπόλεμος δ' ἐπεὶ ὂν τράφ' ἐνὶ μεγάρῳ ἐϋπήκτῳ;

ubi *posterior Præpositionis* ἐνὶ *Syllaba* ob sequentem *Litteram* μ producitur, quùm potuisset scribendo τράφη & ἐν hanc producendæ istius *Syllabæ* necessitatem vitare; hoc modo:

Τληπόλεμος δ' ἐπεὶ ὂν τράφη ἐν μεγάρῳ ἐϋπήκτῳ.

Home-

Homerus ſimiliter ad *Batrachomyom. v.* 156, qui ita ſe habet,

Ε'ς λίμνην αὐτοὺς σὺν ἔντεσιν εὐθὺ βάλωμεν·

probat, ni fallor, *Vocalem Brevem* ύ *Præpoſitionis* σὺν non aliam ob cauſſam productam eſſe, niſi, quia poſt ipſam ſequitur *Liquida* ν, licèt hoc non ſatis adtendiſſe videtur *Eruditiſſimus Clarkius*, qui in eum locum animadvertens, nihil aliud adnotatum reliquit, quàm quod hîc ſequitur; " iſtiuſmodi *Syllabæ Breves* ſæpe etiam „ extra *Cæſuram* producuntur. „



EXCEPTIO

De Vocali, quæ est naturâ Brevis, ante Litteras, quas adpellant, Tenues, Medias, & Aspiratas, sequentibus Liquidis.

VUlt *Epos Extensam, Rapidam Comoedia* poscit;
Si *Brevis* antevenit Πῖ, Ταῦ, vel Κάππα, vel unam
Ex *Aspiratis, Liquidâ* quâcunque sequente,
Unamve ex *Mediis*, & Ῥῶ se subiicit illi.
At *Brevis* anteiens *Mediam, Liquidamque*, sat unâ
Ῥῶ demtâ, cunctis dabitur producta Poëtis.

INTERPRETATIO.

VOcalis Brevis *ante vel* Tenues, *quas vocant*, Consonantes π', κ', τ', *vel* Aspiratas φ', χ', θ', *sequente quâvis* Liquidâ, *uti & ante* Medias β', γ', δ', *sequente* ρ', Syllabam Brevem *apud* Comicos *perpetuò claudit*; *sed apud* Heroicos *Poëtas ferè semper effert* Longam. Vocalis *verò* Brevis Consonantem Mediam *quamcunque præcedens, sequente quâvis* Liquidâ, *præter unicam* (α) ρ', Syllabam Brevem *nunquam terminat, sed sequentium* Consonantium *ope, indiscriminatim apud omnes Poëtas* Longam *semper* Syllabam *constituit*.

ADDI-

(α) Si enim post *Mediam* sequatur ρ', *Brevis* tunc *Vocalis* produci, & corripi pro arbitrio poterit.

I. In hoc tradendo *Præcepto* non satis adcurati fuerunt, ni fallor, Prosodiographi. Etenim docent, *Syllabam Brevem* in *Vocalem Brevem* desinentem, ante *Mutam*, & *Liquidam*, fieri posse *Communem*; quod constanter negamus, saltem nullâ, uti ab illis adsertum fuit, factâ distinctione.

II. Ut igitur *Syllabarum* Græcarum in *Vocalem Brevem* desinentium ante *Mutam*, & *Liquidam* intemeratam adsequamur *Prosodiam*, ita à nobis præceptio firmanda est, ut nec omni in *Mutæ* & *Liquidæ* concursu, nec apud omnes Poëtas *Vocalis* ista *Brevis* præcedens corripi pro arbitrio, vel produci queat.

III. Quibus autem in casibus *Vocalis* ista *Brevis* ante *Tenues*, *Medias*, vel *Aspiratas*, sequentibus *Liquidis*, corripi, vel produci debeat, cùm apud Poëtas *Tragicos*, & *Comoediæ* Scriptores, quandoque etiam apud Auctores *Bucolicos*, tum apud *Heroicos*, adeò luculenter & clarè *Nupera* hæc *Exceptio*, & eius *Interpretatio* nobis indigitant, ut rem hic pluribus persequi, idem esset profectò, ac lumen Soli, uti est in adagio, mutuare.

IV. At si quis à me hoc in loco quæsiverit, cur Poëtæ *Tragici*, & *Comoediæ* Scriptores, interdum etiam Auctores *Bucolici* easdem corripuerint *Syllabas*, ante *Mutam*, & *Liquidam*, quas *Heroici* Poëtæ passim produxerunt; responsum accipiat, *Bucolicos*, *Tragicos*, & *Comoediæ* Scriptores, qui *prosæ* propiores *Versus* ediderunt, *vulgi* celerrimam exhibuisse pronuntiandi rationem, vel legibus solutiores fuisse; *Heroicos* verò stylo gravi, & à *vulgi* sermone quàm maximè alieno litare consuevisse.

V. Itaque ex eo, quod Poëtæ *Tragici*, *Bucolici*, & *Comoediæ* Scriptores usurparunt, collige, quàm malè *Tragicum*, *Bucolicum*, & *Comoedum* agens, eas produceres

ceres *Syllabas*, quæ pro *metricis* eorum *legibus* aliter eſſent corripiendæ; & è converſò, quàm male corriperes in *Heroico Carmine*, quod *Heroicus* quivis Poëta aliàs producere ſolitus eſſet.

VI. Et hæc quidem ſunt, quæ fiunt plerunque; at nullus Græcus Scriptor adeò eiuſmodi *Regularum* obſervans eſt, ut nunquam eas violet; aut ſibi, ne lato quidem ungue, licitum eſſe putet ab illis diſcedere. Verùm rariores quosdam caſus, & Pueris in imitationem haud facilè commendandos, non moror, unicè intentus quùm ſim ad id, quod frequentiùs uſuvenit, & quod maximè cenſeo *Rationi* conſentaneum.

VII. Ceterùm, nonniſi cum hiſce exceptionibus, quamvis ſuo loco non exprimantur, intelligenda eſt *Regula* ſuperiùs ad *Præceptum III. De Poſitione*, ſemel tradita, quâ cautum eſt, *Vocalem Brevem* ante binas *Conſonantes*, à quibus *Syllaba* inchoari poſſit, in *Vocalem*, quam dicunt, *Communem* eſſe transferendam.

EXEMPLA.

(1)
Κακῶς ἔπραττον, κ) πένης ἦν. (Καρ.) Οἶδα τοι. *Ariſtoph. in Pl. v.* 29.

(2)
Δῦλον γενέσθαι παραφρονῦντος δεσπότυ. *Ariſtoph. in Pl. v.* 2.

(3)
Οἷα πρὶν ἐξ ἀπάτας κεκροταμένοι ἄνδρες ἔπαισδον. *Theocr. Idyll.* 15, *v.* 49.

(4)
Φῶτ' ἐξαρπάξασα νεὼς κυανοπρώροιο. *Hom. Odyſſ.* μ́, *v.* 100.

(5)
Ἔξω δ' ἐξίσχει κεφαλὰς δεινοῖο βερέθρυ. *Hom. Odyſſ.* μ́, *v.* 95.

(6)
Ἀφίγμεθ' ὄντως τῦ νέυ τύτυ θεῦ. *Ariſtoph. in Pl. v.* 961.

(7)
Πρώρης· ἔνθεν γάρ μιν ἐδέγμην πρῶτα φανεῖσθαι. *Hom. Odyſſ.* μ́, *v.* 230.

(8)
Καὶ φιλοκερδείῃ βεβλαμμένον ἄνδρα παρελθεῖν. *The. Idy.* 16, *v.* 63.

OB-

OBSERVATIONES.

(1) In *voce* ἔπραττον illud ἐ naturâ *Breve* ante π *Consonantem Tenuem* sequente ῥ corripitur iuxta præfixum *Canonem*. Similem naturâ *Brevem Vocalem* ante κρ, corripit *Aristophanes in Eccl. v.* 274; & ante τρ, *in Pl. v.* 517. Quocum facit *Theocritus* ad *Idyll.* 13, *v.* 5; in *voce* Ἀμφιτρύωνος, cuius *priores Syllabæ* tres *Dactylum* efficiunt; & ad *Idyll.* 20, *v.* 6; correptâ *ultimâ vocis* ἀλίκα ante *Dictionem* ibi proximè sequentem τραύματα, quæ incipit à *Tenui* τ', & *Liquidâ* ρ. Alia exempla *Vocalis Brevis* ante *Consonantem Tenuem*, & *Liquidam*, nimirum, ante πλ, idem *Aristophanes* nobis suppeditat *in Plut. v.* 952; ante πν, *in L. v.* 762; ante κλ, *in Plut. v.* 356; ante κμ, *in Plut. v.* 256; ante κν, *in N. v.* 383; ante τλ, *in Pl. v.* 477; & ante τμ, *in A. v.* 418; quo in loco *Aristophanem* imitatur *Bion*, qui & ipse *Brevem Vocalem* ante τμ, corripit ad *Idyll.* 1, *v.* 43. Interdum etiam alienus ab hâc *Prosodiâ* non fuit *Homerus*, qui *voces* τέκνον, ὕπνος, πυκνοὶ, τέκμαρ, ἐρετμὸς, πότμος *&c.* corripuit in *penultimâ*, ut dictum est supra in *Præcepto III. De Positione*, ad *Observ.* (2). Sed Tironibus, si quid ego iudico, absque caussâ recedendum non est à *vulgatâ Regulâ*.

(2) Παραφρονῦντος *vox* est *secundâ Syllabâ* ab *initio* correptâ; quâ in sede *Vocalis* naturâ *Brevis* reperitur, sed quæ supra, ante *Tenuem* & *Liquidam* exsistebat, heic *Aspiratam* & *Liquidam* præcedit; & quia versamur in *Comicis*, more eorum *Brevis* illa *Vocalis* adservatur intacta, ideſt, corripitur. Videas itidem *Vocalem* naturâ *Brevem* correptam apud *Aristophanem* ante φλ, *in Pl. v.* 477; ante φν, *in Pl. v.* 213; ante χλ, *in R. v.* 688; ante χμ, apud *Theocritum* ad *Idyll.* 15, *v.* 19; ante χν, apud *Aristophanem in Th. v.* 100; & apud *Theocritum* ad *Idyll.* 10, *v.* 37; ante χρ, apud *Aristophanem in Pl. v.* 484;

v. 484; ante ϑλ, apud *Orpheum v.* 880; ante ϑν, apud *Aristophanem in N. v.* 1438; ante ϑμ, apud eundem *in Pl. v.* 759. Neque aliter factitavit *Homerus*, quanquam ipsum Tirones in hoc haud passim imitari debeant, ad *Odyss.* ή, *v.* 89; ubi *priorem vocis* ςαϑμοὶ, vel potiùs *Vocalem Brevem* ᾰ, ante ϑμ, corripuit.

(3) *Theocritus*, qui *Bucolicorum Carminum* Scriptor præstantissimus cluet, *Vocalem Brevem* έ ante *Consonantem Tenuem* sequente ρ́, in voce κεκροταμένοι corripiens, *Prosodiæ Tragicorum* Poëtarum, & *Comoediæ* Scriptorum adstipulatur, ut supra iam innui ad *Additam. III.* & *IV.* Similiter fecit ad *Idyll.* 1, *v.* 113; ante *Aspiratam* φ', & *Liquidam* ν́. Et quamvis exempla coram huc non adducantur, quia hæc Græca Lingua dari forsan non finit, verisimile esset, cùm ipsum *Theocritum*, tum alios Scriptores *Bucolicos* idem cum *Vocali*, quæ naturâ *Brevis* sit, ante *Tenuem* & *Aspiratam* quamcunque, factitasse.

(4) Κυανοπρώροιο. *Tertiam* ab *initio* productam, isto in *Vocabulo* præbet *Heroicorum* Poëtarum longè longéque Princeps & Parens *Homerus*; ad cuius exemplar ferè semper producendæ sunt in *Carmine Epico Vocales* omnes naturâ *Breves*, quotiescunque *Consonantem Tenuem* simul & *Liquidam* antecedunt. Videas insuper *Vocalem* naturâ *Brevem* aliàs productam ante κρ, apud ipsum *Homerum* ad Odyss. ώ, *v.* 531; à quo etiam non semel & iterum, sed μυριάκις dictum est: ἐς πατρίδα γαῖαν, *Vocali* ᾰ ante τρ, ibi productâ, quæ sine dubio naturâ *Brevis* est, ut liquet ex *Hom. Odyss.* ϛ, *v.* 152; ad quem locum πατὴρ *nomen*, à quo πατρὶς deducta *vox* est, *penultimâ Brevi* effertur. Confer etiam *Homerum* ad *Odyss.* μ́, *v.* 99; ubi *Vocalis* naturâ *Brevis* habetur producta ante πλ; alteram scilicet *Consonantem Tenuem*, nempe π́, alteram *Liquidam*, scilicet λ' &c.

(5) Βέρεϑρυ. Hic pariter *penultima Syllaba* in έ desinens,

nens, hoc est, in *Vocalem* naturâ *Brevem*, pro more Poëtarum *Epicorum* extenditur ante *Consonantem Aspiratam* θ', & *Liquidam* ρ'. Nec aliam deprehendere est *Prosodiam* in *Vocali Brevi* ante *Aspiratam* φ', & *Liquidam* ν', apud *Callimachum Hym. in Dianam*, *v.* 250; & signanter ad *priorem vocis* ἀφνειότερον ab ἄφενος, & per *Syncopen* ἄφνος, quod *nomen* ex *Præpositione* ἀπὸ, cuius ά naturâ *Breve* esse liquet, & ἐνὸς, id est, ἀφ' ἐνὸς, ut suadent Lexica, compositum est. Et tandem naturâ *Brevis Vocalis*, *Longa* fit ante *Aspiratam* χ, & *Liquidam* ρ, probante eodem *Callimacho Hym. in Delum*, *v.* 287, ubi *secunda Vocalis* ab *initio*, ό nimirum, in *voce* πολυχρανιώτατον, quod infra ex *Præcepto VII. De Compositione* esset corripiendum, producitur.

(6) Α'φίγμεθ' ὄντως. Ibi *Vocalis* ί aliàs naturâ *Brevis* ante γμ, producitur. Vide infra in adnotatis, ad *vocem* βεβλαμμένον.

(7) Ε'δέγμην. Notabis *secundam* ab *initio* naturâ *Brevem* hâc in *voce* productam, ideò quia ista *Brevis* heic præest *Consonanti Mediæ*, & *Liquidæ*, non ρ', sed μ', quod satis est, ut produci ex hâc Exceptione debeat. Eâdem de caussâ *Vocalis* itidem *Brevis* producitur ante δν, ad *Odyss.* ί, *v.* 426; & ante βλ, ad *Odyss.* λ', *v.* 193; sed ante γρ, illam corripuit idem *Homerus Odyss.* μ', *v.* 330; quia ibi post *Mediam* sequitur ρ, uti animadversum est supra. Quanquam huic Regulæ ita insistendum non est in *Heroico Carmine*, perinde ac si nunquam sit licitum ab eâ recedere, quùm *Brevis* naturâ *Vocalis* etiam inveniatur producta ante δρ, in *Homeri Odyss.* λ', *v.* 271; ante βρ, *Odyss.* μ', *v.* 240; & alibi. Quæ quidem ab *Homero*, aliisque *Epicis* Poëtis in usum recepta *Prosodia*, aliâ certè medelâ sanari nequit, quàm, quæ exhibetur his verbis, " *Vocalis Brevis* ante *Mutam* sequente *Liqui-* „ *dâ* ita comparari potest, ut vel *Syllabam Brevem* ter-

 „ mi-

„ minet; vel in eâdem cum sequentibus *Consonantibus*, „ quæ perinde *Longa evadat*, efferatur. „

(8) Βεβλαμμένον. Hîc quoque *Brevem* naturâ *Vocalem* videas productam, ante *Mediam* sequente *Liquidâ* apud *Theocritum*. Quocum faciunt Auctores *Bucolici* omnes, Poëtæ *Tragici*, & *Comoediæ* Scriptores. Hinc *Brevem Vocalem* ante γμ, produxit *Moschus in Idyll.* 2, *v.* 96; ante γν, *Ausonius in Idyll.* de *Vitâ Humanâ v.* 42; ante βλ, *Aristophanes in Pl. v.* 117; ante γμ, Idem *in Pl. v.* 961; ante δν, & δμ, Idem *in Eq. v.* 765; ante βλ, *Euripides in Hec. v.* 354; ante γμ, Idem *in Hec. v.* 229. Immò quod, ex adnotatis ad superiorem *Observationem*, Poëtis *Heroicis* permissum fuit, quantùm sciam, Poëtis *Bucolicis*, *Tragicis*, *Comicisque*, ut *Brevem Vocalem*, ante *Mediam* sequente ῥ, aliquando producerent, certè non licuit, uti nec in posterum licebit.



PRÆ-

PRÆCEPTVM IV.um

De Accentu.

IN Προπαροξυτόνοις brevianda eſt *ultima*, *Ionum*
Si demas *Patrium*, & quotquot dabit *Attica Caſus.*
Ultima corripitur, ſi quæ præponitur illi
Pingatur *Circumflexo*, *Poſituſque* nec obſtet:
Longa ſed ex geneſi ſi ſit *penultima*, *Acutum*
Et ferat *Accentum*, *Longis* tunc *ultima* adhæret.
Quæ *Circumflexum* ſubeunt, producta requirunt.

INTERPRETATIO.

DIctiones Proparoxytonæ, *ſeu quæ in* antepenultimâ *acuuntur*, ultimam Brevem *neceſſariò poſtulant*, *exceptis* 1.o Genitivis Ionicis, 2.o *omnibus* Caſibus *ad* Atticorum *leges exactis*, *cuiuſmodi ſunt omnes* Caſus IV.æ Declinationis Simplicium, & Genitivi *item* Attici II.æ Declinationis Contractorum *in omnibus numeris*. *Corripitur etiam* ultima Syllaba *cuiuſvis* Dictionis, *quæ* Accentu Circumflexo *notatur in* penultimâ. *Verùm*, *ſi* penultima *naturâ ſuâ* Longa *ſit*, & Accentum Acutum *præferat*, *tunc eiuſdem* Dictionis ultima Syllaba *producta erit*. *Omnis quoque* Syllaba, *quæ* Accentum Circumflexum *recipit*, Longa *eſt*.

ADDITAMENTA.

I. Quùm Græcorum *Dictiones* ſuis ſingulæ præmunitæ exeant *Accentibus*, atque ex his, quaſi ex certo

 indi-

indicio, *Syllabarum* quarundam *Prosodia* rectè admodum deduci queat, animum propterea induxi hoc ipsum *Præceptum* de *Accentu* aliquanto adcuratiùs tradere, à multis licèt Prosodiographis noverim prætermissum, ideò quia hanc spartam in se susceperint, qui de *Accentuum Ratione* scripserunt.

II. Itaque ad rem, quod supra iam dixi, *Dictiones Proparoxytonas*, æquè ac *Properispomenas*, eas nimirum, quæ *Accentum Circumflexum* accipiunt in *penultimâ*, *Breves* esse in *ultimâ Syllabâ*, id intelligi debet, quando antedictæ *Dictiones* spectantur seorsim, & in *prosâ*, secus verò, quando efferuntur coniunctim, & in numeris adstrictâ oratione; in adstrictâ enim numeris oratione *Syllabæ* illæ *Breves* interdum evadunt productæ cùm propter aliquam *Figuram Dictionis*, tum propter *voces* proximè sequentes in *Carmine*, à *Consonante* vel unâ vel duabus, aut *Duplici Litterâ* incipientes, quamvis *Accentus* à suis sedibus minimè amoveantur, immò nec amoveri debeant.

III. Quin, etiam extra numeris adstrictam orationem, *Diphthongi* ΑΙ', & ΟΙ', aliàs naturâ suâ *Longæ*, *Ratione Accentûs*, pro *Brevibus* semper habendæ sunt.

IV. *Ratione* etiam *Accentuum*, *Syllaba Longa* ea est, quæ naturâ, non utique quæ solâ *Positione* producitur; alioqui pessimè *Accentum Acutum* haberent αὖλαξ, χοῖνιξ, καλαῦροψ, & similia. Sed hæ *voces* optime circumflectunt *penultimam*, quia *ultimam*, *Vocali Brevi* constantem, solâ *Positione* producunt. Et quidem de *voce* καλαῦροψ, res per se manifesta est: ex *Genitivis* porro αὔλακος, & χοίνικος, in quibus *penultima Brevis* est, aliquo modo colligi videtur, *voces* αὖλαξ & χοῖνιξ *Vocalem Brevem* in *ultimâ* habere, ideóque *Circumflexo* pingendas esse.

V. Notandum insuper, *Vocales* naturâ *Longas* circumflecti omnino posse ac debere, non verò eas, quas *Po-*

Positio ſolummodò *Longas* efficit. Itaque πρᾶγμα, quod à πράσσω, in quo τὸ ᾱ productum eſt, rectè in *penultimâ* circumflectitur; contra τάγμα, quod à τάσσω, in quo τὸ ᾰ correptum eſt, licèt *Syllaba* τάσσ *Poſitione* producatur, nullatenus poterit circumflecti; ſed acuatur in *primâ*, uti etiam acuitur, neceſſe eſt. Ne autem in dubium vocare quis poſſit ᾱ in πράσσω naturâ ſuâ *Longum* eſſe, & ᾰ in τάσσω *Breve*, duo hîc prænotanda ſunt. Primum eſt, quòd *Vocalis* ᾰ naturâ *Brevis* nunquam mutatur in η; alterum, quòd πράσσω, in Linguâ *Ionicâ* migrat in πρήσσω; ſed τάσσω, nunquam in τήσσω. Quæ quidem *Analogia* parùm occultior, nunquam fuit à Grammaticis, quòd certò ſciam, obſervata. Et hæc dicta ſint obiter, quùm iſtis de agere ad eos magis pertineat, qui *De Accentuum Ratione* ſcripſerunt.

VI. *Dictiones Periſpomenæ*, hoc eſt, quæ *Accentum Circumflexum* recipiunt in *ultimâ Syllabâ*, aliquando propter *Vocalem initio* ſequentis *Dictionis* in oratione numeris adſtrictâ producuntur, aliquando etiam corripiuntur iuxta *Præceptum I. De Vocali ante Vocalem*; & *Præceptum II. De Diphthongis*; de quibus ſupra ſermo fuit.

VII. Exempla, quid voluerim in antecedentibus *Additamentis*, manifeſtiùs demonſtrabunt.

EXEMPLA.

(1) (2)
Ἀργείυς ἐκέλευσα ἀλήμεναι ἐνθάδε πάντας. *Hom. Il. ε, v.* 823.

(3)
Πρὸς πόλιν, ᾗ περ οἱ ἄλλοι ἀτυζόμενοι φοβέοντο. *Hom. Il. ζ', v.* 41.

(4)
Μῆνιν ἄειδε Θεὰ Πηληϊάδεω Ἀχιλῆος. *Hom. Il. ά, v.* 1.

(5)
Βοιωτῶν μὲν Πηνέλεως κ̀ Λήϊτος ἦρχον. *Hom. Il. β', v.* 494.

Κῦρον

(6)
Κῦρον ἐόντα φέροι, μηδ' ὃς φύγοι· ἀλλ' ἅμα πάντες. *Hom. Il.* ζ', *v.* 59.

(7)
Κοσμῆσαι ἵππυς τε κ̀ ἀνέρας ἀσπιδιώτας. *Hom. Il.* β', *v.* 554.

(8)
Δεσμῦ ἀναγκαίυ πειρώμενοι ἔκλυσιν εὑρεῖν. *Theocr. Idyll.* 25. *v.* 33.

(9)
Τρὶς δ' ἐπὶ καλλίςης νήσυ δράμες ὀμφαλὸν Ἔννας. *Callimach. Hym. in Cerer. v.* 15.

OBSERVATIONES.

(1) Ἐκέλευσα. Solus *Accentus Acutus* in *antepenultimâ*, *ultimam* docet corripiendam, quemadmodum correpta est in ἐκέλευσα. Ne autem in eiusmodi *vocibus Proparoxytonis*, ad *Prosodiam* quod adtinet, Tirones offendant, heic præstat monere, quanlibet *Syllabam ultimam Dictionis Proparoxytonæ* produci in *Carmine* etiam posse, vel *Positione*, (quod scilicet accidit, quùm post *Dictionem Proparoxytonam* antecedentem, continuò sequitur *Dictio* à *Consonantibus* duabus, vel *Litterâ Duplici* incipiens), seu *Cæsurâ*, (de quâ suo loco dicendum.) Huius tamen *Dictionis Proparoxytonæ ultima* alterutro modo producta *Syllaba* in caussâ non est, cur mutari *Accentus* debeat, qui sanè nunquam in *penultimam* transit, præterquàm si eandem *ultimam* in *Longam* naturâ *Vocalem*, aut *Diphthongum*, id exigente *Syntaxi*, mutari opus sit, ac pro ἐκέλευσα scribendum occurrat κελεύσης, κελεύσῃ &c.

(2) Ἀλήμεναι *ultimam* corripit, quia *vox Proparoxytona* est, & *Dictionem*, quæ incipit à *Vocali* in prolato exemplo antecedit; aliàs eandem *Syllabam Accentu* nequaquam mutato procul dubio extenderet, instar *vocis* πεποιῆσαι ex *Callimachi Hym. in Del. v.* 115;

Μῦνοι, ἐλαφρίζυσι; πεποιῆσαι δὲ πέτεσθαι.

(3) Ἀτυ-

(3) Ἀτυζόμενοι. Quod dictum est supra ad *vocem* ἀλήμεναι, idem dicendum ad *vocem* ἀτυζόμενοι; *Diphthongi* enim istæ αι, & οι *Longæ* sunt ratione quantitatis, secus ratione *Accentûs*; utraque tamen ut corripiatur in *Carmine*, alia *Dictio* à *Vocali* incipiens sequatur necesse est; alioquin utraque *Longa* erit; licèt *Accentus* mutato neutiquam obnoxius fuerit.

(4) Πηληϊάδεω, *Communiter* Πηληϊάδου, *Genitivus Ionicus* est, qui *ultimam* naturâ habet *productam*, ut liquet; & *antepenultimam* nihilominus acuit. Atqui nihil obstaret, quominus *Vocalis* ista produci posset ex *Præcepto I. De Vocali ante Vocalem*, si in eodem *Versu Dictio* à *Vocali*, vel *Diphthongo* incipiens statim post Πηληϊάδεω & *Ionicos* similes *Casus*, consequeretur.

(5) Πηνέλεως *Nominativus Atticus* ex IV.ª *Declinatione Simplicium*, qui acuitur in *antepenultimâ*, quamvis eius *ultima* naturâ *Longa* sit. Perinde se habebunt reliqui omnes *Casus more Attico* inflexi. Quocirca aliud notandum non superest, nisi, quòd *Casus* isti, quicunque in *Consonantem* desinunt, nullo unquam *Præcepto*, vel *Licentiâ*, quam adpellant, *Poëticâ*, *ultimâ* in *Syllabâ* vel ante *Vocalem* breviari queunt.

(6) Κῦρον *vox Properispomena*; idcirco *Brevis* in *ultimâ*, quæ etiam adservatur intacta, sequente ibi post ipsam aliâ *voce* à *Vocali* incipiente, alioqui producta esset in *ultimâ*, nec tamen *Properispomena* esse desineret, qualis est *vox* Ἐρῆτον apud *Hom. Iliad.* ζ', *v.* 20;

Δρῆσον δ' Εὐρύαλος ᾗ Ὀφέλτιον ἐξενάριξε.

(7) Κοσμῆσαι. Hocce exemplum *vocis Properispomenæ*, cuius *ultima* effertur *Longa* ob *Vocalem*, à quâ sequens inchoatur *Dictio*, liquidò probat, non semper quidem ad hoc *Præceptum De Accentu* confugiendum esse, quin interdum ad alios etiam *Canonas Prosodia* in similibus *vocibus* præferatur exacta. Quare *ultima vocis* κοσμῆσαι aut vi *Cæsuræ*, (de quâ infra suo loco dicendum est,) aut

aut *Poſitione*, ſi mavis, producta erit, perinde ac ſi ad *Verſum* citatum ſcriptum fuiſſet κοσμῆσαιν ἵππυς, vel κοσμῆσαι ὠἵππυς.

(8) Δεσμῦ. Hic notabis *vocem Periſpomenam Syllabâ* in *ultimâ* ex *Præcepto II. De Diphthongis* correptam, nullâ habitâ *Accentûs Circumflexi* ratione. Porro in ſimilibus fieri poſſe ſimilia nemo, niſi hoſpes in *Re* Græcorum *Metricâ*, inficiabitur. Semper autem, ut nullus ſit peccato locus, id intelligi debet, ſi *voces Periſpomenas* continuò ſequantur *Dictiones* à *Vocali* vel *Diphthongo* inchoatæ.

(9) Νήσυ. *Accentus* huius *vocis* ex *Circumflexo* in *Acutum* mutatus eſt propter *ultimam Syllabam*, quæ in *Diphthongum* converſa eſt. In *Nominativo* ſcribitur νῆσος, in *Accuſativo Singulari* νῆσον, & in *Vocativo* item *Singulari* νῆσε, quia hos *Caſus Vocalis* naturâ *Brevis* terminat. Itaque ex *Accentu*, abſque eo quòd ullus ad alias *Regulas* habeatur reſpectus, cùm *vocis* prædictæ, tum multarum ſimilium quantitatem colligere rectè poſſumus. Levicula hæc ſunt, ſed Tironibus valdè neceſſaria.



PRÆ-

PRÆCEPTVM V.um

De Contractione.

QUæ valet è binis conflare *Synæresis* unam,
Hanc sociat *Longis*. Quæ contrà *Diæresis* unam
Dissecat in binas, binas has corripit; immò
Diphthongo ex aliquâ si fortè expungitur una,
Altera, quæ remanet, semper breviabitur *Anceps*.

INTERPRETATIO.

SYnæresis Dictionis Figura, *qualis habetur, quùm* Syllabæ *duæ contrahuntur in unam*, hanc unam *ex* Contractione factam Syllabam *producit*. *Et è conversò* Diæresis *similiter* Dictionis Figura, *quæ certè fit, ubi ex unâ dissectâ* Syllabâ *duæ* Syllabæ *efformantur, has duas ex unâ, ut dixi, natas* Syllabas *correptas præbet*. *Immò, si ex aliquâ* Diphthongo *de duabus, quibus constat* Vocalibus, *una abiiciatur, superstes altera, qualiscunque ex* Ancipitibus *fuerit, semper breviabitur*.

ADDITAMENTA.

I. Quotiescunque à Grammaticis & *Prosodiæ* Scriptoribus, *duarum Vocalium in unam Contractio* definitur *Synæresis*, non ita accipienda est ista Finitio, quasi eadem cùm *Episynaloephe*, tum *Crasi* aptari aliquo modo minimè possit; licèt propriè loquendo tria hæc differant inter se aliquantulum.

II. Utique in adlato *Præcepto* nulla alia, quàm de

Synæresi, mentio facta est, sed sub unâ huius verbi significatione *Crasin* quoque, atque *Episynaloephen* volumus intellectam, ideò quia vel unaquæque earum definiri potest *duarum Syllabarum in unam Contractio*.

III. Nihilominus, si res paullò penitiùs introspiciatur, strictè ac propriè dicta erit *Synæresis*, quùm duæ *Vocales* contrahuntur quidem in unam, sed ambæ post *Contractionem* adservantur intactæ, ut, quùm ex *simplici nomine* τριήρεϊ oritur *contractum* τριήρει. Quâ in *voce*, ut vides, manet ε, & ι post *Contractionem*, quamvis in unam *Syllabam* convenerint.

IV. *Crasis* itidem *duarum Vocalium in unam Contractio est*, sed vel neutra ex duabus illis *Vocalibus*, *Contractione* factâ, retinetur, uti colligere erit ex τείχη *contractâ voce* pro τείχεα, vel summùm una, deperditâ alterâ, adservatur, quùm loco *simplicis* βόαε per *Contractionem* scribitur βόα. Et hoc sanè discrimen est *Crasin* inter, atque *Synæresin* unicum, ac peculiare.

V. Tandem *Episynaloephe*, si quis eam adcuratè definire studeat, *est Syllaba una ex duabus facta*, quod fit, quùm duæ *Vocales* in unam contrahuntur. Differt autem cùm à *Synæresi*, tum à *Crasi Episynaloephe*, quia in hâc utraque *Vocalis* scribitur, & exprimitur, & tantùm in *Carminis* dimensione, loco unius *Syllabæ* accipitur. Ita, Exempli gratiâ, ad *Odyss.* φ', *v.* 76; & infra ad *v.* 120; & 260; legitur πελέκεων, & πελέκεας, quorum *nominum Vocales* duæ *ultimæ* ε & ω, ε & α non coniunguntur quidem in unam *Syllabam*, ut in *Synæresi*, & *Crasi* ad *voces* τριήρει, & τείχη pro τριήρεϊ, & τείχεα factum novimus, sed pro unâ *Syllabâ* habentur, ac pronuntiantur æquè, ac si ab *Homero* scriptum fuisset πελέκων, & πελέκεις.

Hæc quodammodo necesse fuit huc convehere, amoliendi causâ quidquid in hoc pulvere crucem Tironibus figere utcunque posset.

VI. Ad

VI. Ad *Præceptum* autem quod adtinet, docet istud in universum, *Syllabam* quamcunque, sive per *Synæresin*, sive per *Crasin*, sive per *Episynaloephen* factam, *Longam* esse; quod & verum erit, nisi *Præceptum I. De Vocali ante Vocalem*, aut *Præceptum II. De Diphthongis* latum hunc *Canonem* antevertat. Quare tum *γένει* per *Synæresin* ex *Præcepto II. De Diphthongis*, tum *πέρα* per *Crasin* ex *Præcepto I. De Vocali ante Vocalem*, ut in subiectis exemplis manifesta res est, pro *γένεϊ* & *πέραε contractæ voces*, ante *Dictiones* à *Vocali* initiatas, corripiuntur in *ultimâ*, eâdemque ratione his similes universæ rectè corripi semper poterunt;

Οὐδ' ἀφαμαρτοεπὴς, εἰ καὶ γένει ὕστερος ἦεν. Hom. Il. γ́, v. 215.

Ὑμετέρας ἐφύλαξα πέρα, πέρα εἰς ἐμὲ Λητοῖ. Callimach. Hym. in Del. v. 203.

VII. Neque hic audiendi sunt Græcæ quidam *Prosodiæ* Scriptores, qui autumant, nonnullas ex *Contractione* ortas, citra prædictos casus, aliquando correptas inveniri apud Græcos Poëtas *Syllabas*; nam quas ex *Contractione* natas quidem esse volunt, & *Breves* æstimant, eas omnes non ex *Contractione*, si Superis placet, sed ex absciſſione alicuius *Vocalis*, & per *Syncopen* factas nonnemo, qui animum sollerter advertat, deprehendet. Atqui *Syncope* integræ *vocis* quantitatem non solet immutare.

VIII. *Diæresis* fit, ubi ex unâ diſſectâ *Syllabâ* efformantur duæ, quæ, ut id obiter moneam, si ex *Diphthongo* proveniant, vel singulæ punctulum rectâ adfixum recipiunt, vel una tantùm ex his, idest, *posterior*, iuxta probatiores Græcæ *Orthographiæ* leges, utrunque punctulum complectitur.

IX. Et hæ duæ *Syllabæ* ex unâ compactæ atque diſſectæ corripi utcunque debent, nisi fortè ob aliquam ex infra adferendis ad *Observationes* rationibus, eas producere opus sit, vel alterutra ex ipsis naturâ suâ *Lon-*

ga primigeniam retineat quantitatem. Sic Θρήϊκες pro Θρᾷκες *primam* producit ad *Iliad.* δ', *v.* 533; & aliæ non absimiles *voces* alibi passim.

X. Unicam, quod sciam, (quia fatentur sibi non ita liquere, qui possit ei medicina fieri, in paullò ante præfixâ *Regulâ* de *Ancipitibus* post factam *Diæresin* corripiendis *Vocalibus*,) nonnulli excipiunt *vocem* ῥάϊςα, cuius *antepenultimam* produxit *Theocritus ad Idyll. XI*, *v.* 7. At ego quovis quidem pignore contendere ausim nullâ ibi exceptione opus esse, ac iure optimo, & ad ipsam *Regulam* huius *vocis Prosodiam* arbitror exactam. Ratio est perspicua, & certissima. Etenim τὸ ῥάϊςα *adverbium* ex adlato *Theocriti* loco derivatur à ῥήϊςα, *Doricorum* more mutato ή, in ά, quod, quia *Doricum*, idcirco naturâ *Longum* est, haud secus ac ipsum ή. Videas infra *Præceptum VI. De Dialecto*; atque ex prædictis infer, quâ lege superiùs producta fuit *prior vocis* Θρήϊκες, eâdem profectò hîc *priorem vocis* ῥάϊςα esse producendam.

EXEMPLA.

(1)
Ἠ'οῖ τῇ προτέρῃ, τότε δὲ Ζεὺς, ὦρσε μάχεσθαι. *Hom. Il.* ν', *v.* 794.
(2)
Α'λλ' ὅγε δέκτο μὲν ἱρὰ, πόνον δ' ἀμέγαρτον ὄφελλεν. *Hom. Il.* β', *v.* 420.
(3)
Αὐτὰρ ὁ σύλα πῶμα φαρέτρης· ἐκ δ' ἕλετ' ἰὸν. *Hom. Il.* δ', *v.* 116.
(4)
Καί σφεας φωνήσας ἔπεα πτερόεντα προσηύδα. *Hom. Il.* δ', *v.* 284.
(5)
Εὖτέ μιν εἰς ἀΐδαο πυλάρταο πρὔπεμψεν. *Hom. Il.* θ', *v.* 367.
(6)
Μυρίαι, ἃς ὐκ ἔςι φυγεῖν βροτὸν, ὐδ' ὑπαλύξαι. *Hom. Il.* μ', *v.* 327.

ALIA

iis ſuadendis, quæ in *Additamentis* congeſſimus, neceſſaria.

(7)

Oἱ κόρις ἄχρι κόρυ κορέσαντό μυ· ἀλλ᾽ ἐκορέσθην.
Α῎χρι κόρυ κᾀυτὸς τὺς κόρις ἐκκορίσας.

Parmenionis Macedonis ex Anth. Lib. 1. *pag.* 23. *Editionis Commelinianæ an:* 1604. in 4.º

(8)

Εὐχομένης, ὅτ᾽ ἔφησθα κελαινεφέϊ Κρονίωνι. *Hom. Il.* ά, *v.* 397.

(9)

Ταφρέ᾽ ἐπαΐσσει ἑλέειν τέ ἑ θυμὸς ἀνώγει. *Hom. Il.* χ́, *v.* 142.

(10)

Η῎σειν ἢ τοσσῦτον ὀΐομαι, ἢ ἔτι μᾶσσον. *Hom. Odyſſ.* θ′, *v.* 203.

(11)

Ρ῾ηΐδιον τοι ἔπος ἐρέω, ϗ ἐπὶ φρεσὶ θείω. *Hom. Odyſſ.* λ′, *v.* 145.

(12)

Ο῞ς δέ κε ῥηΐτατ᾽ ἐντανύσῃ βιὸν ἐν παλάμῃσι. *Hom. Odyſſ.* φ′, *v.* 75.

OBSERVATIONES.

(1) Η᾽οῖ pro ἠόϊ. Coëunt iſtâ in *voce* duæ *ultimæ Syllabæ* in unam per *Synæreſin*, etſi ambæ ſervantur, atque exſcribuntur. Quùm autem ita coëunt, ſemper *Diphthongum*, ideſt, *Longam Syllabam* conſtituunt. Perinde ſe habebunt omnes *Contractiones* per *Synæreſin* factæ, adeò ut aliâ ratione nobis opus non ſit, ex quâ liqueat, eiuſmodi *contractas Syllabas* eſſe *Longas*.

(2) Ι῾ρὰ factâ *Craſi* uſurpatur pro ἱερὰ conciſo ἑ, ſeu potiùs in unam cum ἱ coäcto *Syllabam*. Quo fit, ut iſtud

stud ι semper *Longum* sit, nec ullâ corripi Licentiâ possit. Ceterùm, quia *Homerus* istud ipsum *Il.* ά, *v.* 62; corripuit in ἱερῆα, & infra *v.* 147; produxit in ἱερὰ, extra *Crasin*, idem ί *Communem*, ut aiunt Prosodiographi, *Syllabam* efficere nonnemo dixerit. Alia exempla *Vocalis* per *Crasin contractæ*, quæ *Longa* sit, & quidem in *fine Dictionis*, videsis apud *Hom. Il.* δ', *v.* 116; in *verbo* σύλα, pro σύλαε; & apud *Eundem Il.* χ, *v.* 322; in *verbo* τεύχη pro τεύχεα.

Dores insuper coniunctis duobus *vocabulis* non illibenter utuntur sequentibus *Crasibus*, videlicet, κῷχετο pro κὴ ὤχετο, κῆμε pro κὴ ἐμὲ, κῆυ pro κὴ εὖ, ὤνθρωπε pro ὦ ἄνθρωπε, & similibus, quæ ut magno numero inspiciantur, satis erit aliquantisper *Theocriti Idyllia* evolvere, absque eo quod in singulis recensendis operam ludamus.

(3) Vide supra ad *Verbum* Ἱρὰ *num.* inter uncinos clauso (2) in his *Observationibus*.

(4) Σφέας habet έας unius *Syllabæ*; quia *Vocales* duæ έ & ά contrahuntur per *Episynaloephen* in unam, quomodo έ *vocis* θεοὶ ex *Hom. Il.* ά, *v.* 18; & έ *vocis* χρυσέῳ, ex *Eiusdem Il.* ά, *v.* 374; in unam cum οί & ῴ contrahuntur *Syllabam*; ita tamen, ut singulæ *Vocales* & *Diphthongi* non coniunctim, ut fit in *Crasi* & *Synæresi*, sed seorsim scriptæ sint, eo prorsus modo, quo dictum est in *Additam. V. ad hoc Præceptum*.

Et hæ *Syllabæ*, ex *Brevibus* utcunque deriventur aut *Longis*, ita per *Episynaloephen contractæ* constanter apud Græcos Poëtas producuntur. Hinc culpâ non vacant, qui eò deveniunt, ut dicant, eiusmodi *Syllabas*, aut saltem eas, quæ à *Brevibus* duabus exortæ sunt, corripi aliquando posse hâc *Homeri* auctoritate:

Ὄρσεο πέπον Καπανηϊάδη, καταβήσεο δίφρυ. *Il.* έ, *v.* 109; perinde ac si summus Vates ex έ & ό duabus *Syllabis ultimis vocis* ὄρσεο unam per *Episynaloephen* effecerit, ac ipsam

ipſam poſtea corripuerit. Sed iſtæ meræ ſunt ineptiæ. Nam ibi non ὄρσεο, ſed ὄρσο rectè, ut opinor, legit *Barneſius* ex *Codd. Vett.* & *MSS.tis* ἐ conciſo per *Syncopam* ab *Ionico* ὄρσεο, quod vulgò dicitur ὄρσῃ. At ſi quis certè adtendat, nihil frequentius inveniet in Græcis *Editionibus*, quàm eiuſmodi depravationes.

Præſtat modò pro inſtituti ratione, ac veluti è re natâ ſelectiores quaſdam, minuſque intellectas per *Epiſynaloephen contractas Syllabas* recenſere, quæ vel peritiores in *Re* Græcorum *Metricâ* occupant, eiſque negotium faceſſunt.

Itaque interdum *Longa* ante *Brevem* colliditur *Heſiodi* exemplo,

Εἴαρι πολεῖν θέρεος δὲ νεωμένη ὔ σ' ἀπατήσει. *Oper. & Dieſ.* *v.* 460.

Similiter apud *Philemonem* in *Fragmentis*,

Α'νὴρ δίκαιός ἐςιν, ὐχ ὁ μὴ ἀδικῶν.

Perinde ac ſi ſcriptum fuiſſet,

Α'νὴρ δίκαιός ἐςιν, ὐχ ὁ μὴ 'δικῶν.

Longa etiam ante *Longam* collidebatur, docente in primis Græcorum Poëtarum Principe,

Ηʹ εἰσόκεν ἀμφὶ πύλησ' εὖ ποιητῇσι μάχωνται. *Il.* έ, *v.* 466; ibi *Syllabis* duabus ῆ & εἰσ in unam *contractis*.

Quæ omnia ex eo nata ſunt, quia alia ſcribendi, alia verò pronuntiandi ratio, præſertim quùm de *Vocalibus Coälescentibus* ageretur, apud Græcos Poëtas obtinuit;

Hinc *Odyſſ.* δ', *v.* 352;

Ε"σχον, ἐπεὶ ὔ σφιν ἔρεξα τελήεσσας ἑκατόμβας.

Pronuntiabatur ἐπ' ὔ σφιν, vel ἐπεὶυ σφιν tribus *Syllabis.* Pari modo apud *Theognid. Gnom.* *v.* 927;

Φείδεσθαι μὲν ἄμεινον ἐπεὶ ὐδὲ θανόντ' ἀποκλαίει.

Pronuntiabatur ἐπ' ὐδὲ, vel ἐπεὶυδε.

Odyſſ. δ', *v.* 634;

Χρεὼ, pronuntiandum χρῶ unius *Syllabæ.*

Odyſſ. δ', *v.* 757;

Τ'ψε-

Ὑψερεφέα, pronuntiabatur ὑψερέφη. Quomodo & ſcribi poſtea coeptum eſt.

Odyſſ. θ′, *v.* 253;

Ὀρχηςύϊ, pronuntiabatur ὀρχηςῦ, vel ὀρχηςυῖ. tribus *Syllabis*.

Odyſſ. ι, *v.* 212;

Ἤϊα, pronuntiabatur æquè ac ſi ſcriptum fuiſſet ἦα uti & adnotavit *Barneſius*; unde liquet, corrigendum eſſe *Athenæum*, *Lib. XIV. Cap.* 8, cuius hæc verba ſunt: Πολλὺς ἀκεφάλυς ποιεῖ ςίχυς (Ὅμηρος) καὶ λαγαρὺς ἔτι δὲ μειύρυς —. Μείυροι δέ εἰσιν οἱ (χωλότητα ἔχοντες) ἐπὶ τῆς ἐβολῆς· οἷον —

Τῦ φέρον ἐμπλήσας ἀσκὸν μέγαν· ἐν δὲ καὶ ἤϊα.

Iliad. ό, *v.* 18;

Ἢ ὑ μέμνῃ, pronuntiabatur ἦυ μέμνῃ, non utique *Licentiâ* aliquâ *Poëticâ*, ſed quia vulgò etiam in ſolutâ, ut opinor, oratione ita pronuntiabatur. Non enim id ſemel iterumve, ſed perpetuò ferè, & conſultò fecit Poëta.

Similiter *Iliad.* έ, *v.* 349;

Ἢ ὐχ ἅλις, ὅττι γυναῖκας ἀνάλκιδας ἠπεροπεύεις.

Pronuntiabatur maximè in interrogationibus etiam in ſolutâ oratione ἦὺχ ἅλις ita, ut ſit *Dactylus*.

Item apud *Sophoclem* in *Antigon.* *v.* 468;

Τύτων ἐγὼ ὐκ ἔμελλον, ἀνδρὸς ὐδενός.

Pronuntiabatur videlicet,

Τύτων ἐγὼ ὐκ ἔμελλον, ἀνδρὸς ὐδενός.

Ex hactenus dictis, quomodo & aliæ *Vocales Coaleſcentes* in *Carmine* pronuntiari rectè queant, per ſe ipſos Tirones inferre poterunt, adeò ut alia heic exempla congerere ſit omnino ſupervacaneum.

(5) Ἀΐδαο. Uſus ſum hoc exemplo ex innumeris, quæ animo obverſabantur, ideò quia præter *Diphthongum*, quæ vulgò *Propria* à Grammaticis dicta eſt, diſſolvi etiam per *Diæreſin Diphthongum*, quam adpellant *Impropriam*, ex quâ diſſectâ utrùm ambæ *Vocales* eſ-
ſent

ſent corripiendæ, uti *Præcepto* ſubauditur, malè ſanis Græculis oriri poterat dubitatio, intelligatur. Iſta enim *Diphthongus* *αἱ* ab eâ, quæ erat *ά*, manifeſtò deducta eſt. Ceterùm omnis ſive *Propria*, ſive *Impropria* in duas *Syllabas* per *Diæreſin* partita *Diphthongus*, duas iſtas *Syllabas*, aut *Vocales* correptas poſtulat, ut liquet ex prolatâ *voce ἀΐδαο* à duabus *Brevibus* incipiente.

(6) Φυγεῖν *Aoriſtus Secundus* à *φεύγω*, qui fit abiecto *ἐ* ex *Diphthongo εύ*, & retento *ύ Vocali*, nimirum, *Ancipite*, quæ idcirco *Brevis* eſt, ut nos docet *Præceptum*. Similem præferunt *Proſodiam Vocales Ancipites ἱ* & *ά*, ſicubi ſolæ, poſt extritam alteram ex quâvis *Diphthongo*, relictæ fuerint; quomodo probant *Aoriſti* item *Secundi* *χάρη* & *ἔλιπον* à *λείπω* & *χαίρω*, quos refert *Homerus* his verſibus:

Δεῖμα φέρων Δαναοῖσι· χάρη δ' ἄρα οἱ προσιόντι. *Il. ἑ*, *v.* 682.
Ἔνθ' ἄλοχόν τε φίλην ἔλιπον καὶ νήπιον υἱόν. *Il. ἑ*, *v.* 480.

(7) Κόρις. Non utique *Nominativus* iſte, & *Accuſativus τὺς κόρις*, quem habet *Pentameter* in citato exemplo, naſcitur ex *κόριες* & *κόριας*, ita ut factâ *Contractione* dictum ſit *οἱ κόρις*, *τὺς κόρις*, ſed à *Parmenione Macedone οἱ κόρις*, *τὺς κόρις* dictum eſt, ex *κόριες* & *κόριας* factâ *Syncope*, extritis, nimirum, *Vocalibus ά* & *ἑ*. Et hæc unica ratio eſt, quare *Nominativus κόρις* ex *κόριες*, uti & *Accuſativus κόρις* ex *κόριας Brevis* in *ultimâ* deprehenditur. Aliàs, graviſſimâ ſcateret mendâ iſtarum *Syllabarum Contractarum* correptio, in quâ ſanandâ fruſtra quiſpiam laboraret, & poſtea doctioribus ludibrium deberet.

(8) Κελαινεφέϊ. Tria multoties impedimento ſunt, quo minus per *Diæreſin* ſeiunctæ *Vocales* corripiantur, videlicet,

I. Poſitio;
II. Cæſura;
III. Complurium *Vocalium* in eâdem *Dictione* coacervatio.

Itaque in *voce* κελαινεφῆϊ *Syllaba ultima Positione Longa* est, quia statim post ipsam sequitur *Dictio* Κρονίωνι à *Consonantibus* initiata duabus.

(9) Ἐπαΐσσει cum *antepenultimâ Longâ*, cuius tamen productionis ratio extra dubitationis aleam à *Cæsurâ* repetenda est. *Syllaba* enim, aut, si mavis illud *ά initium secundi pedis* in *Versu Hexametro* occupat, quod satis est, ut *ictus* pronuntiationis, ut quidam loquuntur, in hanc *Versûs* partem cadat, unde isthæc ipsa *Vocalis* vocetur *Mansio*, & consequenter producenda sit.

(10) Ὀΐομαι. In hâc etiam *voce Longa* est *antepenultima*, ut non videt nemo. In eandem quippe *Dictionem* complures *Vocales Breves* simul concurrunt. Quo fit, ut apud Græcos alterutra ex ipsis, magis verò, quæ *Anceps* sit, rectè producatur. Perinde est in *voce* ἀθάνατος, ἀκάματος, ἀπονέεσθαι, ἀποδίωμαι, Πριαμίδης, & similibus, quarum *vocum priores Syllabæ Longæ* sunt.

(11) Ῥηΐδιον) Ex his ortum ducit ῥήϊςος, *facillimus*,

(12) Ῥηΐτατ') ac ῥάϊςα, *facillimè*, Neutrum *plurale adverbialiter* sumtum, *Doricè* ή converso in ᾱ, quod, ut corripiatur, nulla unquam apud principes Poëtas *Licentia* fuit. Confer *Additam. I. ad Præceptum VI. De Dialecto*, ubi exseruntur hæc verba: Ᾱ *Doricum natum ex* ή *Longum est*. Immò notabis, ipsum ᾱ, indidemque etiam colliges, *Vocalem* quamcunque, sicubi ista ex eâ, quâ manat, origine suâpte naturâ *Longa* erit ante *Diæresin*, vel post factam *Diæresin*, eandem præferre quantitatem. Exemplum sit prior *vocis* λᾶϊνος, quæ ideò quia à λᾶς derivatur, ab ᾱ scilicet naturâ *Longo*, nisi durè, ne dicam incongruenter, non corriperetur. Quare *Homerus* eam produxit in sequenti *Versu*,

Πυθοῖ ἐν ἠγαθέῃ, ὅσ' ὑπέρβη λᾶϊνον οὐδόν. *Odyss.* θ', *v.* 80.

PRÆ-

PRÆCEPTVM VI.um

De Dialecto.

PRoducit *Doris*, quod corripit *Æolis*, Alpha
Ex H' proveniens. Ex H' quoque *Ionia Curtis*
Præteriti natum dabit Alpha à *fine Secundæ*
Syllabæ; at ex μεμαὼς *Obliqui* quotquot habebunt
Omega post Alpha, hoc rapiunt; O quotquot habebunt
Parvum, producunt. Rapitur quod *Epenthesis* indit
Verborum Ternis Personis, atque *Secundis*;
Demtis, quæ à *Verbis* veniunt abeuntibus in MI,
Finitisque in A'ω, si *Syllaba Longa* præibit.

INTERPRETATIO.

DOrica Dialectus *producit Alpha natum ex Eta*; Æolica *verò ipsum Alpha ab eodem Eta derivatum corripit*. Ionica Dialectus *similiter corripit Alpha ex Eta profectum in* penultimis Præteritorum, *unicâ interveniente exceptione*, *qualis est*, *ut Alpha* Ionicum *in* Casibus Obliquis Præteriti Participii μεμαὼς Longum *sit*, *si post ipsum sequatur Omicron*; Breve *autem haberi debeat*, *si post ipsum sequatur Omega*. *Alpha itidem* Ionicum Tertiis & Secundis Verborum Personis *insertum* Breve *est*, *exceptis* Tertiis Personis Verborum *in* MI & Tertiis *ac* Secundis Personis Contractorum *in* A'ω *finitorum*, *in quibus tamen* Longa Syllaba Ionicum *Alpha antecedit*.

ADDITAMENTA.

I. *Dores*, qui diducto ore proloqui solebant, iuxta *Tehocriti Scholiasten*, cuius hæc verba sunt: οἱ Δωριεῖς πλατυςομῦσι, in suis *vocibus* efferendis, ᾶ libentiùs usurpabant, quàm ή. Idcirco, quas *Syllabas* reliquis Græciæ popularibus per ή exprimere solemne fuit, *Dores* pronuntiabant atque exscribebant per ᾶ. Eiusmodi tamen mutationi omnes nec *Syllabæ*, nec *Dictiones* omnes obnoxiæ sunt; nam in *nominibus imparisyllabis oxytonis* ή migrare certè non posse in ᾶ, *Herodianus* auctor est, teste *Ioanne Crispino* in *Adnotationibus* ad *Idyll. I. Theocriti*. At præter ἐσθὴς, quod sæpe scriptum occurrit ἐσθὰς, multa nomina ή vertunt in ᾶ, quæ tamen non sunt *oxytona imparisyllaba*, ut ποιμὰν apud *Theocritum Idyll. I. v. 7*. Quare hic aures consulendæ sunt. Etenim ἀνὴρ non ἀνὰρ, ἀςὴρ non ἀςὰρ *Dores* exprimunt, qui tamen suavissimè ποιμὰν pro ποιμὴν proferunt. Uno verbo in his satius erit *Doricorum* Poëtarum auctoritatem sequi, quàm insulsis Grammatistarum dictatis auscultare.

Suam Poësin *Doricâ Dialecto* interspersam transmisit ad posteros *Pindarus*, & *Pythagorei* Philosophi omnes, quorum Fragmenta exstant apud *Laërtium*, & *Stobæum*.

In primis verò eam adamavit *Theocritus* in *Bucolicis*, quâ de causâ iure merito δωρικώτατος nuncupatus est. Quàm autem scitè atque eleganter *Doricam* ipse *Dialectum* suâ Poësi celebrandam susceperit, ex eo liquet, quod istoc ipsum loquendi genus crassius ceteris est, ac sermocinationibus *vulgi*, & singillatim pastorum atque agricolarum, idest, sylvestri musæ magis accommodatum.

Hæc in gratiam Tironum semel hic exposuisse non piguit. Ceterùm, ᾶ *Doricum* natum ex ή *Longum* est, ac, nisi in *fine Dictionis* positum sit, & altera statim

post

post ipsum sequatur *Dictio* à *Vocali* incipiens, corripi nequaquam potest.

II. *Æolica Dialectus* in multis cum *Doricâ* congruit, adeò ut languere simul, & evanescere videantur *Dorici* lepores, nisi *Æolicis* hîc illic salibus respersi sint. *Æolicâ Dialecto* usi sunt *Theocritus*, *Homerus*, *Pindarus*, *Anacreon* &c.

Ad *Prosodiam* verò quod adtinet, proprium est huius *Dialecti*, ac peculiare, ᾱ ex ῃ natum corripere, ut dixi superiùs, & infra exemplis demonstrabo.

III. *Homerus Dialectis* non omnibus, ut perperam nonnulli senserunt, promiscuè & ἀλόγως, sed eâ solummodo usus est, quæ inter Suos erat *Ionico* — *Poëtica*: ex variis quidem illa *Dialectis* exsistens non communiter & universè, sed certâ quâdam & constanti ratione Poëtis *Ionicis* usitata, & quibusdam consequenter *Æolicis* locutionibus mirè contexta. Verùm, quùm præsertim sit è re nostrâ, *Ionicæ Vocalis* ᾱ *Prosodiam* inquirere, ac de eâ satis superque cùm in hoc *Præcepto*, tum in eiusdem *Interpretatione* egerimus, non debemus hîc esse longiores. Monebo interim, quùm Græcæ *Editiones* forte mendis non paucis scatere compertæ sint, ᾱ *Breve Dialecti Communis* nunquam migrare in ῃ *Ionicum*: atque inde, ut unum ex multis exemplum proferam, *Vulgatam* lectionem ad *Odyss.* ξ, *v.* 163; malè εὑρείην habere: sed εὑρεῖαν rectè, notante *Barnesio*, præferre debuisse.

IV. De singularum *Dialectorum* proprietatibus diutiùs verba facere instituti nostri ratio non sinit, quùm eas distinctè & ordinatim digestas atque explicatas in Lexicis, & Grammaticorum scriptis, quæ ad manus sunt, inquirere, ac nullo negotio invenire Tirones possint, & si quid sapere in Græcâ Poësi velint, memoriæ mandare omnino debeant.

EXEMPLA.

(1) Καὶ βαθὺ κισσύβιον κεκλυσμένον ἁδέϊ καρῷ. *Theoc. Idyll.* 1. *v.* 27.

(2) Δεῦρ' ἴθι, νύμφα φίλη, ἵνα θέσκελα ἔργα ἴδηαι. *Hom. Il.* γ́, *v.* 130.

(3) Φαινομένων τὸν ἄριϛον, ἐπεὶ μεμάασί γε πολλοί. *Hom. Il.* κ́, *v.* 236.

(4) Αἰχμηταὶ, μεμαῶτες ὀρεκτῇσι μελίῃσι. *Hom. Il.* β', *v.* 543.

(5) Λαοὶ θωρήσσοντο, μεμαότες ἐγχείῃσι. *Hom. Il.* β', *v.* 818.

(6) Οἳ δὴ νῦν ἕαται σιγῇ, πόλεμος δὲ πέπαυται. *Hom. Il.* γ́, *v.* 134.

(7) Παλλάδ' Ἀθηναίην, δεινὼ δέ οἱ ὄσσε φάανθεν. *Hom. Il.* ά, *v.* 200.

(8) Τροίῃ ἐν εὐρείῃ; τί νύ οἱ τόσον ὠδύσαο Ζεύς; *Hom. Odyss.* ά, *v.* 62.

(9) Εἴπερ γὰρ θυμῷ γε μενοινάα πολεμίζειν. *Hom. Il.* τ́, *v.* 164.

(10) Οὐχ ὁράας δ' ὅτι αὖτε καρηκομόωντες Ἀχαιοί. *Hom. Il.* ή, *v.* 448.

(11) Ἤτοι μὲν κεφαλῇ κ̀ μείζονες ἄλλοι ἔασι. *Hom. Il.* γ́, *v.* 168.

OBSERVATIONES.

(1) Ἁδέϊ *Doricè* pro ἡδέϊ mutato ή in ά, quod est *Longum*, uti esse debet, & docet *Præceptum*. Notandum tamen hic loci est, autumasse nonnullos etiam ά natum ex έ *Longum* esse, id ipsum confirmante, ut aiunt, *Theocrito*, qui *ultimam vocis* αἶκα hoc in *Versu* produxit:

Αἴκα τῆνος ἕλῃ κεραὸν τράγον, αἶγα τὺ λαψῇ. *Idyll.* 1, *v.* 4.

Sed rem ipsi acu profectò non tetigere; quandoquidem ά natum ex έ corripi quoquomodo debet, & preli error in

cam

eam *vocem* irrepsisse videtur, quæ certè non αἶκα, sed αἴκαν pro αἴκεν hic saltem scribenda erat, *Syllaba ultima* eiusdem *vocis*, ut esset *Longa*. Ubi verò hæc *Syllaba Brevis* est, expungitur ν', quòd rectæ *Syntaxi* minus nocet; potest enim eadem pro arbitrio exprimi vel κὲ vel κὲν. Utroque modo, uti opinor, sana erit. Nihilominus, si ad prolatum *Theocriti* exemplum *Syllabam* κὲ in scribendo præferendam esse censeamus, quia sequens *Dictio* τῆνος incipit à *Consonante*, tunc illud κὰ pro κὲ, propter *pausam*, quâ integra *vox* αἶκα finitur, erit producendum. Videas infra, ubi de *Licentiâ*, quam adpellant, *Poëticâ* sermo est. Ceterùm πόκα pro πότε, ὅκα pro ὅτε, ἄλλοκα pro ἄλλοτε &c. *adverbia* nimis, quàm frequentia apud *Theocritum* perpetuò ac constanter *Syllabâ* in *ultimâ* corripiuntur.

(2) Νύμφα φίλη. Νύμφη *communiter* dicitur, sed νύμφα *Æolica vox* est correptâ pro more *Æolicæ Dialecti ultimâ*, nimirum, ᾰ ex η nato. Hinc *Syllabæ* tres νύμφα φί — *Dactylum* exserunt apud *Theocritum*, qui *Doricam* in scribendo *Dialectum* secutus est, ita tamen, ut eam identidem *Æolicis* locutionibus, ac phrasibus, uti diximus, mirè intexuerit. Res per se clara pluribus non est testimoniis oneranda. Addo, in similibus similia facere *Æolicè* cum iudicio loquentibus nunquam vetitum vel ipsis Tironibus.

(3) Μεμάᾰσι corripitur in *antepenultimâ*, quæ *penultima* est *Præteriti Ionici* μέμαα, & consequenter *Brevis*. *Iones* enim pro more subtrahunt ex *Præteritis* κ', & corripiunt *penultimam*. Eiusmodi verò *penultimæ* correptio fit mutato η naturâ *Longo* in ᾰ *Breve*. Itaque *Communis Dialectus* habet μέμηκα; hinc oritur μέμηα; exinde *Ionicum* μέμαα. *Præteritis Ionicis* eadem *Prosodia*, prout eadem in ipsis efformandis ratio est. Quare ex γέγηκα, βέβηκα, ἕστηκα prognata *Præterita* habebimus γέγαα, βέβαα, ἕσταα &c. Simili *Analogiâ* corripiuntur *Ancipites* ῐ & ῠ in

penul-

penultimis omnium *Præteritorum*, ex quibus *Ionico* more *κ* ſubtrahitur. Verùm de his poſtea pluribus agemus.

(4) Μεμαώτες *ſecundâ* ab *initio* correptâ. Quocum iſtud *Participium* ſequitur *Præteriti*, à quo derivatur, in *penultimâ* quantitatem; niſi, quâ *Analogiâ* ex τεθνηότες factum eſt τεθνεῶτες, ex μετηόρες μετεώρες, eâdem ex μεμαότες cum *antepenultimâ Longâ* factum eſſe μεμαώτες cum *antepenultimâ Brevi*, magis collibeat opinari.

(5) Μεμαότες à μέμαα *Præterito Ionico Participium* deductum eſt, quod tamen à communi *Regulâ* diſcedit. Ibi enim *ᾱ Longum* exſtat, nec, niſi peſſimè, vel quia derivatur ab *ά Brevi*, quæ habetur in *penultimâ Præteriti* μέμαα, vel quia *Vocalis* illa aliam *Vocalem* præcedit, corriperetur. Ratio, ob quam *ᾱ* in *voce* μεμαότες producitur, vel ex pronuntiatione petenda eſt, quâ efferebatur hoc *Participium* interpoſitâ *Duplici Conſonante* Vau, perinde ac ſi ſcriptum fuiſſet μεμαϝότες; vel ex *Analogiâ*, quâ, nimirum, ex μεμαώτες cum *antepenultimâ Brevi* factum ſit μεμαότες cum *antepenultimâ Longâ*, quomodo ex τεθνεῶτες factum eſt τεθνηότες, ex μετεώρες μετηόρες &c.

(6) Εὕαται pro ἧνται 3.tiâ *plur. Præs.* more *Ionico* cum *ά Syllabâ intermediâ Brevi*.

(7) Φάανθεν more ſimiliter *Ionico* factum pro φάνθεν *Sync.* ab ἐφάνθησαν 3.tiâ *plur. Aoriſt.* 1.mi *Indic. paſſ.* verbi φαίνω. *Prior* igitur *Syllaba vocis* φάανθεν *ά*, nimirum, *antepenultimæ medium* inter *φ'*, & *ά penultimæ Syllabæ* poſitum, *Breve* eſt. Quocum *Præcepto* de *ά Ionico*, *Tertiis Verborum Perſonis* inſerto corripiendo via adprimè munitur. Videas etiam, ſi vacat, *Homerum Il.* β', *v.* 128; *Il.* έ, *v.* 880; *Odyſſ.* έ, *v.* 119. Quin, adtentè legentibus ſummum Vatem, paſſim eiuſmodi exempla occurrent.

(8) Ω'δύσαο pro ὠδύσω, cuius *ultima Ionicâ Dialecto* diſſoluta eſt in *Vocales ά*, & *ό*. Porro ὠδύσαο *ſecundam Perſo-*

Personam esse *sing. Aorist. 1.mi Indic. Med;* & suum *ά* corripere non latet neminem. Hinc liquet, breviandum esse *ά Ionicè* insertum non solùm *Tertiis Verborum Personis*, verùm etiam *Secundis*, insuper & *Infinitivo Modo*, quomodo videre est in *voce* μνάασθαι ad *Odyss. ά, v.* 30. Quæ quidem cur haud observarint *Prosodiæ* Scriptores me ignorare candidè fatear necesse est. Verùm de his satis egi, quandoquidem & in *Homero*, & in aliis, qui *Ionico - Poëticâ Dialecto* usi sunt, exempla sunt obvia, & aquam hærere nusquam sinunt.

(9) Μενοινάα 3.tia *Præs. Indic. Act. num. Sing.* à *Verbo* μενοινάω, cuius *ά Ionicum*, post factam *Contractionem*, μενοινᾷ, *medium* inter *ι* & *ᾷ* positum, Longâ *Syllabâ* *οί* præcedente, producitur. Ob eandem rationem producta est *antepenultima vocis* ἠγάασθε apud *Homerum*,

Τόφρα οἱ ἠγάασθε θεοὶ ῥεῖα ζώοντες. *Odyss. έ, v.* 122.

Quibus addit *Labbæus* ἰσχνάα, τιμαάτε *&c.*

(10) Ὁράας è conversò *penultimam* corripit, quia illi præposita est *Syllaba Brevis*. Eandem ob caussam *ά Ionicum Verbis* in *άω* insertum *Brevi Syllabâ* præcedente, corripiunt in *antepenultimâ* sequentes *voces*, nimirum, μηχανάαται, ἐγγυάασθαι, & singillatim ἀγοράασθε apud *Homerum*:

Ὦ πόποι, ἦ δὴ παισὶν ἐοικότες ἀγοράασθε. *Il. β', v.* 337.

(11) Εἄασι. Hoc in exemplo *ά Ionicum Longum* esse manifestò probatur, quomodo & eiusdem quantitatis erit in aliis *Tertiis Personis Verborum* in *μι Ionico* more exaratis. Talis autem *Prosodia* ab eâ, quæ supra præstituta est de eodem *ά Ionico*, planè diversa ad rectæ *Analogiæ* normam exacta est; quâ enim *Analogiâ* effertur τύπτωσι cum *penultimâ* similiter *Longâ*, eâdem profectò ἑᾶσι, τιθέασι *&c.* cum *penultimâ* similiter *Longâ* exprimitur. Atque ex istâ sine dubio *Analogiâ* confictus est universalis ille, & nulli exceptioni obnoxius *Canon*, qui docet, " *Omnem Verborum Personam desinentem in σι semper penultimam producere.* „



ADPENDIX

AD PRÆCEPTVM VI.um

De Dialecto.

Vpsilon insertum *Verbis* ac Alpha Poësis
Attica correptis tribuit. *Boeotus* amavit
ΟΥ' rapere, ut θυγατὴρ, quandoque in *Carmine* Vates.

INTERPRETATIO.

P*Oëtæ* Attici Vocales *ά & ύ, pro more suæmet* Dialecti; Verbis *insertas corripiunt*. Boeotici *verò aliquando etiam* Diphthongum ΟΥ' *in* mediis Dictionibus *ante* Consonantem *corripiunt*.

ADDITAMENTA.

I. Poëtæ *Attici*, ut *Verba*, quæ ad *Communem Dialectum* pertinent, sibi propria ac peculiaria faciant, ante finalem *Vocales ά*, vel *ύ*, uti iam dictum est, interponunt, ita tamen, ut unaquæque non quidem sola incedat, sed semper cum θ' coniungi debeat. Sic, Exempli Gratiâ, à *Communi* διώκω oritur διωκάθω *Atticum Verbum*, perinde ac à φθίνω *Communi* Linguâ *Atticè* conflatur φθινύθω.

II. Nisi in corripiendâ *Diphthongo* ΟΥ' pro more *Boeoticæ Dialecti* scrupulus suboriatur, ideò quia hanc mercem nemo alius præter *Vir Eruditus* T. *Morell* venum exposuit, aut dubitatio subeat, quin *Homerus Boeoticâ Dialecto* usus sit, (de quo tamen ille solùm dubitare potest, qui prorsus desipit), liquidò habebimus, absque

eo

eo quod aliunde expiscari momenta opus sit, quomodo sanari possit *antepenultima vocis* βύλεσθε utique *Brevis* apud *Homerum Odyss.* π', *v.* 387; de quâ verba feci supra ad *Præceptum II. De Diphthongis*, in *Additam. III.*

III. Immò ex hâc admissâ *Bocoticæ Dialecti* proprietate fas erit colligere, & ipsum *Virgilium* ex *Homeri* imitatione rectè corripuisse *u vocis Syracusio Eclog. VI. v.* 1; proindeque *Rufium Turcium Apronianum V. Cl.* in suo *Virgilii* apographo, quod *Vir doctus*, & mihi popularis *Petrus Franciscus Fogginius* uncialibus *Litteris* ad autographi exemplar diligentissimè exactis, *Florentiæ* an. 1741. imprimendum curavit, operam lusisse, dum ipse ad prolatum *Virgilii* locum Textum *Vulgg.* mutavit, ac pro *Syracusio* scripsit *Syracosio*.

IV. Et hæc dicta sint de ΟΥ' *Diphthongo* ex *Boeoticâ Dialecto* interdum corripiendâ, non iam ut inde, quòd imitari queant, sibi Tirones sumant, sed magis ut caveant; nec ibi mendum tam præproperè insimulent, ubi multoties mendi nec vola, nec vestigium dignoscatur.

EXEMPLA.

(1)

Ο"νομα γὰρ τὸ σὸν μ' ἀπώλεσ', ᾧ σ' ἀμυνάθειν χρεών.

(2) *Eur. Iph. in Aul. v.* 910.

Ἧσαι ὀδυρόμενος φθινύθει δ' ἀμφ' ὀςεόφιν χρώς.

(3) *Hom. Odyss.* π', *v.* 145.

Λιγυρικωτίλης ἐνοπῆς. *Heph. pag.* 60.

OBSERVATIONES.

(1) Α'μυνάθειν *penultimam* corripit. Α'μυνάθω *Atticum* est à *Verbo* ἀμύνω, ά & θ' *finali* interpositis. Quare istud ά *Atticè* insertum ex præiacto *Canone* iure merito corripitur.

 (2) Φθι-

(2) φθινύθει quod eſt à φθίνω *Attico* more, ύ & θ' *finali* ſimiliter interpoſitis. Quùm autem φθινύθει à *Brevibus* incipiat duabus, exinde conſtat, illud ύ *Atticè* inſertum ab *Homero* correptum fuiſſe.

(3) Λιγυρι —. Hæ tres *priores Syllabæ vocis* λιγυρικωτίλης *Dactylum* exſerunt. Oculos non habeat neceſſe eſt, qui non videt, ex tribus *prioribus Syllabam ſecundam*, nimirum, *Diphthongum* ΟΥ' *Longam* eſſe. Sic *prima vocis* θυγατὴρ *Boeoticè* corripi ſolet, hæc adnotante *T. Morell*, ubi agit *de Dialectis*,

" Boeotorum *Dialecto* dicitur θυγατὴρ, corripitur tamen *prima*. „

Utinam, quod hîc Vir ſummus tam diſertè adſeruit, vel unico exemplo confirmaſſet! Verùm præter adlatam *Hephæſtionis* auctoritatem, & ad *vocem* θυγατὴρ adnotata verba, nullum aliud teſtimonium præmittit, ſed è veſtigio Lectorem provocat ad Salmaſii *Inſcript. pag.* 173; & ad doctiſſimum *Criticæ Vanni* auctorem *pag.* 491. Immò miror, eundem *Virum Eruditum* ex primoribus Proſodiographis, qui hanc *Boeoticæ Dialecti* proprietatem obſervarint, certè fuiſſe, nec eam in *Vulgg.* ſubſidium ad *vocem* βύλεσθε *Odyſſ.* π', *v.* 387; adhibuiſſe, ac ipſam potiùs *Vulgg.* erroris inſimulare voluiſſe.

Qui tandem ad has *voces* λιγυρικωτίλης, & θυγατὴρ de *Boeoticâ Dialecto* minùs ſolliciti ſunt, locum in illis *Syſtolen*, quæ *Longam* corripit, habere docent; ſed hæc mera ſunt Grammatiſtarum figmenta, quomodo in *Sectione* huius Operis *Tertiâ*, ac ſpeciatim ubi de *Figuris* agam, infra demonſtrabo.



PRÆ-

PRÆCEPTVM VII.um

De Derivatione.

A'ΐδιος præter, nec non ἀένναος, omne
Derivativum servabit *Tempora* patris.

INTERPRETATIO.

PRæter duo hæc nomina, *nimirum,* ἀΐδιος *&* ἀένναος, *reliqua omnia* Derivativa *eandem cum* Primitivis *quantitatem sortiuntur.*

ADDITAMENTA.

I. Hoc *Præceptum*, etsi nullam, ut liquet, difficultatem obvolvit, nihilo tamen minùs tantùm cruciat Iuvenes in Græcâ *Prosodiâ* Tirones, & eos insuper, qui de *Re* apud Græcos *Metricâ* scripserunt, ut illi quidem multa *Verba*, & plerasque *Dictiones* corruptas ultro deputent; hi verò, perinde ac si in difficillimis Labyrinthis versentur, quùm de *Prosodiâ Derivativorum* agitur, filum *Ariadnes* aliquod certè seipsos desiderasse fateantur.

II. Verùm quinam fieri potest, ut in re tam manifestâ, & nulli obnoxiâ difficultati, talia utrique experiantur incommoda? Profectò ex eo, quòd primarios fontes & maximè proprios, à quibus *Nomina*, & *Verba* profluunt, non rectè adsequuntur.

III. Itaque operæ hîc pretium erit, eos fontes paullò adcuratiùs indigitare, atque hoc prorsus modo mendis & querelis viam intercludere.

IV. Per

IV. Per me Pueris ex optimis quibusque Grammaticis, quos consulere per otium potui, primarios tres *Derivativorum* adnuere fontes liceat,

Præsens,

Præteritum Passivum,

Præteritum Medium;

At *Prosodiæ* Scriptores multa præterea deducant necesse est ab

Aoristis Secundis,

& *Futuris Primis &c*;

ne in adsignandâ complurium *Derivativorum* quantitate turpiter prolabantur. Hæc omnia ex his, quæ infra ad *Observationes* congero, manifestè constabunt.

V. Heic autem nobis ultro fatendum est cum Grammaticis, ab eisque traditis de *Temporum Formatione Regulis*, quòd *Verba* innumera non ἀλόγως, sed certâ quâdam ac constanti ratione in quibusdam *Temporibus Vocalem penultimæ* semper corripiunt, in aliis verò semper producunt. Exinde *Derivativa* sive *Verba*; (etenim vel *Verba* ab aliis interdum *Verbis* promanant, veluti à *Futuro Primo* μαρτυρήσομαι, *Verbum Circumflexum* μαρτυρέω), sive sint *Nomina* pro eo, à quo fluunt, *Tempore*, *penultimam* similiter vel perpetuò corripiunt, vel perpetuò producunt.

VI. Postremo loco notandum, ne, si diversa aliquando in quibusdam *Syllabis* ab uno eodemque fonte ortum ducentibus *Prosodia* apud Græcos Poëtas occurrat, insubidè traducatur, Poëtis *Ionicis* licitum esse producere, quod *Atticis* corripere religio fuit. Hinc *Derivativa* corripi vel produci debebunt, servato semper *Dialecti* ordine; & non nisi pessimè, Ex. Gr. *Syllaba* apud Poëtas *Atticos Longa*, eadem postea apud ipsos *Atticos* Poëtas corriperetur, ex eo quia ab *Ionicis* Vatibus corripi solita fuerit. De his nos dubitare non sinunt *Homerus* & *Euripides*; hic quidem *Attico* ore proloquens *priorem* in

in *Verbo* τίνω, & ab eo *Derivativis* ſemper corripuit; ille verò *Ionicæ* Linguæ perpetuò litans *priorem* eiuſdem *Verbi* τίνω, & in cunctis ſimiliter ab eo *Derivativis* ſemper produxit.

EXEMPLA.

(1)

Οἱ μὲν ἄρ' αἴδιον εἶχον πόνον, οὐδέ ποτε σφίν. *Hes. in Scut. Herc. v.* 31.

(2)

Οἷόν τοι τὸν Ἄδωνιν ἀπ' ἀενάω Ἀχέροντος. *Theoc. Idyll.* 15. *v.* 101.

(3)

Ἦ μὰν αὖτ' ἀγορῇ νικᾷς, γέρον, υἷας Ἀχαιῶν. *Hom. Il.* β', *v.* 370.

(4)

Ἦ ἵνα δὴ Δαναοῖσι μάχης ἑτεραλκέα νίκην. *Hom. Il.* ή, *v.* 26.

(5)

Ὕδρος δ' ἐξαπίνης ἀνεφαίνετο, δεινὸν ὅραμα. *Hom. Batrach. v.* 81.

(6)

Δός μοι ῥακιόν τι τοῦ παλαιοῦ δράματος. *Ar. A. v.* 414.

(7)

Καὶ σφῶϊν δὸς ἄγειν· τὼ δ' αὐτὼ μάρτυροι ἔστων. *Hom. Il.* ά, *v.* 338.

OBSERVATIONES.

(1) Τῷ μιν ἀεὶ πρῶτόν τε καὶ ὕστατον ἱλάσκονται. *Aratus in Phænomenis v.* 14; ex quo *Verſu* liquidò conſtat, *priorem Syllabam* in *adverbio* ἀεὶ ſuâpte naturâ *Brevem* eſſe, quam ut Poëtæ producant, *Vocali* ά, ſubiiciunt ί; quocum *Diphthongus* formatur ΑΙ'. Ab ἀεὶ *Adiectiva nomina* deducuntur ἀΐδιος, & ἀέναος, ſicut à *ſemper* apud Latinos *ſempiternus*, quæ tamen, *Primitivi* quantitate relictâ, uti videre eſt in exemplis ab *Heſiodo*, & *Theocrito* ſupra prolatis, *priorem* producunt. Præter ἀΐδιος, & ἀέναος, & paucula alia fortaſſe uſu, aſſiduâque Græcorum Poëtarum Lectione addiſcenda, in reliquis *Derivativis Primitivorum* quantitas religioſè ſervatur. Hallucinationes

& la-

& lapsus, ut innui *ad Additam*. *II;* inde ortum ducunt solummodo, quòd unicè vera & propria plerunque lateat *Derivativorum* origo. Hinc pessimè μάνικος cum *antepenultimâ Longâ* derivaretur à μάνια cum *antepenultimâ Brevi*, τρᾶγος *penultimâ Longâ* ab ἔτραγον *penultimâ Brevi*, νίφας, νίφετος, νιφόεις cum νι *Brevi* à νίφω cum eodem νι *Longo*, πνιγόεις cum πνι *Brevi* à πνῖγος vel πνίγω cum πνι *Longo &c.* quùm explorata res sit, quòd μάνικος à μαίνομαι, τρᾶγος à τέτραγα cum *penultimâ Longâ*, νίφας, νίφετος, νιφόεις ab *Aoristo Secundo* ἔνιφον, & πνιφόεις ab *Aoristo* item *Secundo* ἔπνιφον promanent.

(2) Ἄϊναος, & Poëtic. duplicato ν, quo usus sum in *Præcepti* huius *priori Versiculo* ἀέννασς, ut staret *Versus*. De hoc dictum est in his *Observationibus* ad *Num.* inter uncinos clausum (1). Confer igitur ibidem adnotata.

(3) Νικάω, undè νικᾷς cum *penultimâ Longâ*. Quare etiam νίκη *vox*, quæ à νικάω deducta est, producitur in eâdem *penultimâ*. Exinde *Derivativa* omnia, videlicet, νικητήριον apud *Eurip. in Alc. v.* 1028. ἐπινίκιον. *Soph. in El. v.* 697. νικόβουλος. *Ar. in Eq. v.* 612. Νικοτέλης, Νικήφορος *&c. Syllabam* νι productis adiungunt.

Pari modo sicut *prima* in τίμησας, ita & *prima Derivativi* τιμάς *Longa* est. Confer *Hom. Il.* ά, *v.* 454. & *Hym. in Merc. v.* 468. Vice versâ δίκαιος, δίκη, δικαιοσύνη, δικαίωμα ex δικαίω, cuius *Brevis* est *prima*, *Syllabam priorem* corripiunt; quia *Derivativa* eorum, à quibus derivantur, quantitatem sortiuntur.

(4) Νίκην. Quanta sit *prior Syllaba* huius *vocis* videsis in superiore *Observatione*.

(5) Ὄραμα. Post traditum de *Derivativis Canonem* ad Primitivorum *Prosodiam*, ut ait, *plerunque* exigendis, subdit *Vir Eruditus T. Morell*,

" Α' Longa est ante μα in *Verbalibus* deductis à *Primâ Personâ Præteriti Passivi*, ut ὅραμα, δρᾶμα, φύραμα. "

sed

sed quorsum ista *Vir doctus* scripsit? eorumne *nominum Longam* esse *penultimam*, habito ad *Primitiva* respectu, in dubium vocare quis potest? Præstò est *Regula*, quam nec ipse ignorabat, unde illud ᾰ etiam in *Primitivis Longum* esse manifestè colligitur. " *Verba in άω purum vel in ῥάω desinentia ᾱ tum in Aoristo Primo, tum in Præterito* ὤραμαι, δέδραμαι, πεφύραμαι, *semper producunt*.„ Necesse ergo non erat, ut peculiaris mentio ab eo fieret de illis *nominibus*, quorum *Prosodia* dignosci poterat ex generali *Præcepto*

. . . . omne
Derivativum servabit *Tempora* patris.

(6) Δρᾶμα. Videas adnotata in *Observatione*, quæ hanc proximè præcedit.

(7) Μάρτυροι. Antequàm ad indagandam *vocabuli* huius *Prosodiam* accedo, exponere libet, unde *nomina Verbalia* dicta, quandoque etiam *Verba* ipsa ortum ducunt, ex quo de eorum *Prosodiâ* rectè iudicemus.

Igitur Φαίνω *Thema*, seu, ut vocant, *Radix*.
Ἔφανον *Aorist. Secundus*) Correptâ utrobique *pe-*
Φανῶ *Futur. Primum*) *nultimâ*.
Inde φάσις, φανερὸς, φανερόω *&c.* ᾰ corripiunt.
Κρίνω *Thema*, productâ *penultimâ*.
Κρινῶ *Futur. Primum*, correptâ *penultimâ*.
Κέκρικα *Præterit. Activ.*) correptâ item
Κέκριμαι, κέκρισαι *&c. Præterit. Pass.*) *penultimâ*
Inde κρίσις, κριτὴς, κριτὸς. *&c.*
Δίδωμι *Thema*.
Δώσω *Futur. Primum*;
Inde δωτὴρ, δώτης. *&c.*
Δέδομαι, δέδοσαι. *&c. Præter. Pass.*
Inde δόσις *&c.*
Λύω *Thema*, productâ *penultimâ*.
Λύσω *Futur. Primum*, productâ item *penultimâ*;
Inde λύτωρ, λυτήρ. *&c.*

P Λέλυ-

Λέλυμαι, λέλυσαι. &c. *Præter. Paſſ.* correptâ *penultimâ*, quæ diſcedit à communi *Regulâ*. Vide infra ad *Præceptum XIX. De Ancipitum in Præteritis quantitate*. Inde λύσις, λυτός. &c. correptâ item *penultimâ*.

En quo pacto λυτὸς & λύσις corripiunt *penultimam*, eandemque producunt λυτὴρ & λύτωρ.

Quare nullus hic inextricabilis Labyrinthus, niſi quem animo fingit *Philippus Labbeus Proſod. pag.* 65; qui, probè detecto quantitatis diſcrimine inter prædicta *nomina* intercedente, malè poſtea ipſamet *nomina* ab unâ eâdemque origine, nempe, à λύω, ubi *Longa* habetur *penultima*, expreſſis verbis ad locum citatum dimanare adfirmavit. Oportebat igitur, *Virum Eruditum* & illud animadvertiſſe, nimirum, prolata *nomina* à diverſis *Temporibus*, quæ ab unâ duntaxat promanant origine, ortum ducere, & hoc utique illi pro filo *Ariadnes* fuiſſet, quo ſe ab illo ſuo Labyrintho emergeret.

A' *Nominibus* gradum facio ad *Verba*, quæ ab aliis *Verbis* originem ducunt. Itaque

Κύρω *Præſens*, *penultimâ Longâ*.

Κυρῶ *Futurum Primum*, *penultimâ Brevi*;

Inde *Verbum* κυρέω, quod per omnia *Tempora* ύ ſemper corripit.

Μαρτύρομαι *Præſens*, *antepenultimâ Longâ*.

Μαρτυρῦμαι *Futur. Primum*, *antepenultimâ Brevi*.

Inde *Verbum* μαρτυρέω in omnibus *Temporibus* cum ύ ſemper correpto. En exempla;

Ε῎ςαι τὸ λοιπὸν· ὕδαμῦ δὲ μαρτυρεῖν. *Ariſtoph. Eccl. v.* 557;

Οὐ μαρτυρήσει ταῦθ᾽ ὁ κατθανὼν νέκυς. *Sophocl. Antig. v.* 515.

Exinde μάρτυρες, μάρτυροι, in quibus ύ ſemper corripitur. Nec tamen hâc in re quidquam novi, quùm omnia ſint ex *Analogiâ* generali, & ſatis firmo nitantur fundamento. Atque hinc notabis, quàm intempeſtivè & ſine emolumento *Vulgatæ* Textum verſavit *Vir doctus Ios. Barneſius* ad *Iliad.* ά, *v.* 482;

Στε-

Στεῖρη πορφύρεον μεγάλ' ἴαχε, νηὸς ἰούσης;

Clarkio ad locum excitatum notante, ac pro πορφύρεον subſtituit πορφῦρον *penultimâ Longâ* à *Verbo* πορφύρω, cuius *penultima Longa* itidem eſt; quùm illud πορφύρεον cum ύ *Brevi* rectè ibi ſe habeat, & conſequenter mutato nihil opus ſit. Etenim, quâ *Analogiâ*, ut ſupra dicebam, à φαίνω ortum ducit φανερὸς, à κρίνω κριτὸς, à κλίνω κλιτὸς, à μαρτύρομαι μάρτυρος *&c.* eâdem à πορφύρω deducitur πορφύρεος.

Videas inſuper ex eo quòd primariam & veram *Derivativorum Verborum* originem non ſunt adſequuti, quàm præpoſterè ſenſerint de *Proſodiâ Verbi* ἐφίλατο ex ſubiecto *Homeri Verſiculo Viri* ceteroquin *Eruditiſſimi Euſtathius*, aliique;

Τεύχειν ἔξοχα γάρ μιν ἐφίλατο Παλλὰς Ἀθηνή. *Il.* ε, *v.* 61;

Ille enim ἐφίλατο deducit ex φίλημι; hi verò *contractum* exiſtimant ex ἐφιλήσατο. Utrunque peſſimè; nam hoc pacto corripi omnino debuiſſet *Syllaba* φί. Fatendum igitur, quâ *Analogiâ* dicitur μαρτύρομαι, ἐμαρτυρόμην, ἐμαρτυράμην, in *Futuro* autem *Primo* μαρτυρῦμαι correptâ *antepenultimâ*, indeque, μαρτυρέομαι, quod per omnes *Modos* & *Tempora* ύ ſemper corripit, eâdem *Analogiâ* ex φίλομαι cum *Longâ antepenultimâ Homerum* deduxiſſe ἐφίλατο cum *antepenultimâ* ſimiliter *Longâ*: unde poſtea defluit *Futurum Primum* φιλῦμαι, indeque φιλέω, quod per omnes itidem *Modos* & *Tempora* ί ſuum *Brevibus Vocalibus* perpetuò litat.

Ceterùm his legibus innixi Tirones vel difficillimos in *Derivativorum Proſodiâ* occurrentes nodos facili negotio expedient.



PRÆCEPTVM VIII.um

De Compositione.

Simplicium retinent Legem *Composita* suorum.
Ancipites brevia, quæ sunt in *parte priore*
Compositi; *Rapidis* sed quod præit Alpha duabus;
Dissectâ veniens nec non ac Vpsilon ex ΕΥ'
Diphthongo, produc. Obstent nisi Consona bina;
Δὺς, πᾶν, ὗς, σῦς, πῦρ *Correptis* iungito semper.

INTERPRETATIO.

Composita *suorum* Simplicium *Brevitatem*, *vel Longitudinem sequuntur*. Vocales Ancipites ᾰ, ῐ, ῠ, *quandocunque* priorem Compositi partem *expediunt*, Brevium *numero inserto*. *Verùm producito* Α' privativam, *quam adpellant*, particulam, Brevibus *duabus præfixam*, & Υ', *quod ex dissolutâ* Diphthongo ΕΥ', *exseritur*. *Tandem breviabis harum* particularum, & nominum Ancipites, *quoties* Positio *non interveniat*, *nimirum*, δὺς, πᾶν, ὗς, σῦς, & πῦρ.

ADDITAMENTA.

I. In *vocibus* ex duabus *Compositis*, si aliquando *Compositi pars prior* in *Ancipitem*, quæ tamen ibi *Longa* sit, contra quod in hoc *Præcepto* firmatur, desinat, non statim eius damnanda *Prosodia* erit, obeloque fodienda; isthæc enim *Ancipitis Vocalis* productio, si adten-

tendatur, fiet; vel quia ibidem occurrit *Cæsura*, vel quia *prior* illa *pars* eodem prorsus modo accipitur, ac si ab *alterâ Compositi parte* disiuncta fuisset, & consequenter producitur eâdem ratione, quâ omnis *Syllaba* in *fine vocis* produci potest, quomodo suo loco dicemus, idest, ubi *de Licentiâ*, quam vocant, *Poëticâ* verba faciemus.

Homeri Versiculus quid in hoc voluerim *Additamento*, confirmabit,

Κρατὶ κατανεύων· οἱ δὲ, προπεσόντες ἔρεσσον. *Odyss. ί*, *v.* 490.

Ibi enim *vox κατανεύων* in *antepenultimâ* producta est, ob aliquam ex his, quas mox innuebam, rationibus, citra quam, *Præcepto* huic de *Compositione*, quod hîc unicè agimus, eius *antepenultimæ Prosodia* non esset consentanea.

II. Quod supra dictum est de Α' *particulâ*, quam vocant, *privativâ* in *Compositione*, ante duas *Syllabas Breves* producendâ, verum id esse notandum est in *vocibus* quibusdam solummodo plusquam *Trisyllabis*, ut in ἀθάνατος, ἀκάματος, & similibus; quam *Licentiam* vel pueris concessam velim; in aliis verò *vocibus*, puta, *Trisyllabis* Α' *privativum* produci posse non credo. Quùm autem apud *Homerum voces* ἄληκτος & ἄλοφος in *antepenultimâ* productæ leguntur, cave ne dixeris, productas ibidem esse propter Α' *privativum*, & ob ipsam hanc *Regulam*; sed propter *Liquidam* in pronuntiando duplicatam, vel, si mavis, *Consonantem* Vau ipsi *Liquidæ* præfixam. Porro ab istis rationibus non videtur abludere *Eustathius*, qui ad *Odyss. μ́*, *v.* 325; de suo ipsius legit

Μῆνα δὲ πάντα ἄληκτος ἄη νότος, οὐδέ τις ἄλλος.

& non secundùm *Vulgatam*,

Μῆνα δὲ πάντ' ἄληκτος &c.

Videas *Præceptum III. De Positione*, *Additam. III*, & *IV*.

Prima quippe in ἀθάνατος, ἀκάματος &c. nec semel legentibus apud Græcos Poëtas correpta occurrit.

III. De

III. De *Diphthongo* EΥ' in *mediis dictionibus*, ſive in *Compoſitione* unâ cum aliis *Diphthongis*, & de earum *Proſodiâ* copioſè iam egimus in *Præcepto II. De Diphthongis*, ad quem locum Tirones, ne actum agatur denuò, amandamus. Ceterùm etſi in hoc *Præcepto Diphthongum* EΥ' non diſſolutam, ante *Vocalem* in *Compoſitione* quidam corripi poſſe non negarunt, hoc ſine cauſsâ fieri, vel ubi præcedens *Vocalis*, ſeu *Diphthongus* poteſt *Apoſtropho* tolli, non credo. Certè in ambiguis nos verſari non ſinit *Homeri* auctoritas, qui in ſubiecto *Verſiculo* ex præcedenti *Coniunctione Copulativâ* καὶ maluit per *Apoſtrophum*, *Diphthongum* AI' abiicere, quàm *Diphthongum* EΥ' ſequentis *vocis* εὐεργὸς, quamvis ante *Vocalem* in *Compoſitione*, corripere.

Θηλυτέρῃσι γυναιξὶ καὶ ἤ κ' εὐεργὸς ἔῃσιν. Odyſſ. λ', *v.* 433.
Videas inſuper *Hom. Il.* ε, *v.* 76; & *Theoc. Idyll.* 25, *v.* 70.

IV. *Diphthongus* EΫ' nunquam in *Compoſitione* invenitur ita diſſoluta, ut *ultima* ſit *Brevis*. Quare Tironibus nunquam licitum, ex EΫ' diſſolutâ, Ϋ' corripere; & omitti debet διάλυσις, ubicunque ex *Diphthongo* iſtâ EΫ' diſſectâ in Editis etiam Poëtarum Græcorum Operibus Ϋ *Correptum* eſſe videbimus, eodem prorſus pacto, quo iſto in caſu ſemper eam omiſit *Vir Clariſſimus Samuel Clark* in *Homero* à ſe Londini quam-diligentiſſimè typis *vulgato* an. 1729. Heic moneo, hocce *Additamentum* eò pluris faciendum eſſe, quò faciliùs eiuſmodi menda Impreſſorum dormitantium incuriâ & oſcitantiâ exorta ſunt, & multoties in optimis quibusque *Editionibus* neutiquam emendata.

V. *Præpoſitiones*, & *Particulas*, quas vocant, *inſeparabiles* in *Compoſitione*, quæ ſi deſinant in *Ancipitem*, ipſam profectò corripiunt, ſingillatim in *Præcepto* non adtigi, aliorum Proſodiographorum hâc in re morem haudquaquam ſecutus, ſed ſatis dixiſſe habui:

Anci-

Ancipites brevia; quæ ſunt in *parte priore Compoſiti &c.*

Ex quibus tamen verbis coniecturam facere quiſque nullo negotio queit, breviandas eſſe *Ancipites* in *Compoſiti parte priore*, tum *Præpoſitionum*, tum *Particularum Inſeparabilium*, tum demum aliarum orationis partium, quæ *Compoſitionem* ineunt; ad eum ſiquidem ſcopum collimo, ut in arctiorem gyrum *Proſodiæ Canonas* perpetuò coërceam; & à ſupervacaneis, quoad eius fieri poteſt, ſemper abſtineam.

VI. *Particulæ Inſeparabiles*, ſeu quæ citra *Compoſitionem* non occurrunt, ex ipſis *Proſodiæ* Græcæ Scriptoribus recenſentur, & ſunt,

ἀρί, — *ἀρίδηλος* — valde manifeſtus.
ἐρί — *ἐρίβρομος* — graviter fremens.
δά — *δάσκιος* — ſpiſſam umbram faciens.
ζά — *ζαβάλλω* pro *διαβάλλω* — calumnior.
λί — *λιπόνηρος* — valde improbus.
ἀ — *ἀθάνατος* — immortalis.
βρῖ — *βριήπυος* — valde clamans.

EXEMPLA.

(1)
Ἐνθάδ᾽ ἄτιμος ἐὼν ἄφενος κ̣ πλῦτον ἀφύξειν. *Hom. Il. ά, v.* 171.
(2)
Ὤχετ᾽ Ὀδυσσῆος μεγαθύμυ φαίδιμον υἱόν. *Hom. Odyſſ.* 6, *v.* 2.
(3)
Λυσιμελὴς πάντωντε θεῶν, πάντωντ᾽ ἀνθρώπων. *Hes. Theog. v.* 121.
(4)
Εἶσεν ἄγων· ἐν δ᾽ ἀρχὸς ἔβη πολύμητις Ὀδυσσεύς. *Hom. Il. ά, v.* 311.
(5)
Ἔρδομεν ἀθανάτοισι τεληέσσας ἑκατόμβας. *Hom. Il. ά, v.* 306.
(6)
Τέρψιν ἔχον. τοὶ μὲν γὰρ ἐϋσώτρυ ἐπ᾽ ἀπήνης. *Hes. in Scut. Her. v.* 273.

Μά-

(7)
Μάλοισιν, δυσέρωτα τὸν αἰπόλον ἄνδρα καλεῦσα. *Theoc. Idyll.* 6. *v.* 7.
(8)
Εὔχεσθαι, τό κεν ὅτι πανύςατος ἦλθε διώκων. *Hom. Il.* ψ, *v.* 547.
(9)
Καὶ Κράτος, ἠδὲ Βίην ἀριδείκετα γείνατο τέκνα. *Hes. Theog. v.* 385.
(10)
Καὶ Τιτυὸν εἶδον γαίης ἐρικυδέος υἱόν. *Hom. Odyss.* λ', *v.* 575.
(11)
Ἔνθ' ἐφάνη μέγα σῆμα· δράκων ἐπὶ νῶτα δαφοινός. *Hom. Il.* β', *v.* 308.
(12)
Κίλλαν τε ζαθέην, Τενέδοιό τε Ἶφι ἀνάσσεις. *Hom. Il.* ά, *v.* 38.
(13)
Φευγέμεναι ποταμόνδε, τό δὲ φλέγει ἀκάματον πῦρ. *Hom. Il.* φ', *v.* 13.
(14)
Τίς δὲ λιμὴν; ποίη δὲ πόλις; τίνα δ' ἔξοχα νυμφέων. *Callim. in Dia. v.* 184.
(15)
Οὐδ' ἄρα πώ τι πέπυςο βριήπυος ὄβριμος Ἄρης. *Hom. Il.* ν', *v.* 521.

OBSERVATIONES.

(1) Ἄτιμος *composita vox* est ab Α' *privativâ particulâ*, & *Verbo* τίω, à quo *Verbale* defluit τίμιος, quod est in *Compositione* τῖμος ablato ί *penultimæ*. At, quia *Verbum* τίω sæpe *penultimam* habet productam, ita eadem *penultima* sæpe producitur & in *Verbalibus Simplicibus* perinde, ac in *Compositis*, veluti in ἄτιμος *&c.* Frustra sanè tempus tererem, si pluribus id, de quo maximè liquet, exemplis confirmare vellem. Quare de hoc satis.

(2) Μεγαθύμου) Observare potissimum est in tribus
(3) Λυσιμελής) hisce *vocabulis Ancipites* tres ά, ί, ύ,
(4) Πολύμητις) hanc ipsam ob caussam correptas, quia *priorem Compositi partem* absolvunt, convenienter ad id, quod supra in *Præcepto* firmavimus.

(5) Ἀθα-

(5) Ἀθανάτοισι. *Vir* præstantissimus *Samuel Clarke Iliad. ά, v.* 398; ad similem *vocem* ἀθανάτοισι, quæ ibi quoque, uti & alibi passim ab *Homero* repetita est, hanc adnotationem subiecit: " *in vocum quarundam* „ *plusquàm - trisyllabarum pede priore apud Græcos, præ-* „ *sertim quùm syllabæ primæ Vocalis sit ά vel ί, adeò* „ *parum in pronuntiando Tribrachyn inter Dactylumque* „ *interest, ut uterque potuerit legitimè usurpari*. „ Atque exinde ortum ducit, ni fallor, *Licentia* vel non neganda Tironibus, si ita Præceptori videbitur, *priorem Syllabam*, aut si mavis, *Vocalem*, non unicum, inquam, Ἀ' *privativum*, sed quodvis aliud ά, ί etiam, & ύ producendi, in quibusdam *vocabulis*, ubi *Breves Syllabæ* tres concurrunt; scilicet in *vocibus* ἀθάνατος, ἀκάματος, ἀπονέεσθαι, ἀγοράασθε, ἀποδίωμαι, Πριαμίδης, & similibus, quæ Græcos Poëtas legentibus adeò frequentes occurrunt, ut aurem quodammodo vellant.

Exempla verò *Vocalis* ύ, similiter ante duas *Syllabas Breves*, productæ, non item, sed paullò rariora quùm sint; idcirco vel unum ex eis huc convehere benefactum putavi.

Τῷ σε χρὴ καλέειν Δημήτριον, ὦ Διόνυσον
Πυρογενῆ *&c.* Ex *Antholog. Lib. I.*

Ibi enim in *voce* πυρογενῆ, quæ *Pentametrum* inchoat, non alia suppetit ratio, quâ producatur illud ῡ, nisi, quia eodem correpto, uti iam corripi, vi huius *Præcepti VIII. De Compositione*, debuisset, *Syllabæ* tres *Breves* nullâ interpositâ *Longâ Syllabâ* haberentur; quod vix ac ne vix quidem ferri posse in Græcâ *Prosodiâ* manifestè liquet.

(6) Εὐϊστρυ. Alia exempla mihi ad manus non sunt, sed quoniam hoc ipsum luculentum est, & ad difficultatis nodum expediendum mirè conducit, instar omnium esse potest. In eo scilicet deprehendimus ῡ ex dissectâ *Diphthongo* εὐ *Longum*, quomodo esse debet, ut aptè huic *Præcepto* quadret. Exinde *Vulgatam* corrige ad

ad *Iliad.* ν, *v.* 612; & ὁ, *v.* 480; in *vocibus* εὔχαλκον, & εὔτυκτον. Utrobique enim adſerta διάλυσις, quam exhibet Textus, ita ἐΰχαλκον, ἐΰτυκτον, ſupervacanea, ferri non poteſt, quin admittatur ύ ex diſſectâ *Diphthongo* εὐ correptum, contra quod mox firmatum eſt. Corrige etiam, vel potiùs aufer διάλυσιν à *vocibus* εὐκαμπέα, εὐποίητον, εὔπωλον, εὐπήκτων *&c.* in quibus eadem *Figura* ſtare nequeat, niſi ύ corripiatur (α).

(7) Δυσέρωτα. Ad hanc *vocem* videas *particulam* δὺς in *Compoſitione Brevem*, ut docet *Præceptum*; *voces* autem σῦς & ὗς in *Compoſitione* item correptas *Homerus* ſuppeditat *Odyſſ.* ξ', *v.* 22, & *v.* 48.

(8) Πανύςατος. Ibi παν initiale corripitur. Confer etiam *Heſiodi Oper.* & *Dies v.* 291.

Exemplum verò *vocis* πῦρ in *Compoſitione* colliges ex hoc *Verſiculo:*

Τί ξένον, εἰ βροτολοιγὸς ἔρως τὰ πυρίπνοα τόξα *&c.* Ex *Antholog. Lib. VII.*

(9) Α'ριδείκετα) Tum in hâc *voce*, tum in tribus
(10) Ε'ρικυδέος) ſequentibus videas *particulas*, quas
(11) Δαφοινὸς) diximus *Inſeparabiles* correptas in
(12) Ζαθέην) *Compoſiti parte priore*, de quarum *Proſodiâ* nemini dubium eſſe poteſt, qui animum ad *Præcepti* huius verba aliquantiſper adtendat.

(13) Α'κάματον. Non aliam ob cauſſam heic referri meruit *vox* iſta, niſi, quatenus *compoſita* eſt ex Α' *particulâ Inſeparabili* itemque *privativâ*, & κάματος. Ceterùm, quod ad eius *Proſodiam* adtinet, ſatis dictum eſt ſupra in hiſce *Obſervationibus* ad *num.* inter uncinos clauſum (5).

(14) Αι-

(α) Hæc profectò Regula, quam ego ex doctiſſimis *Samuelis Clarkii* adnotationibus in *Homerum* didici, & ceteri *Proſodiæ* Scriptores non ſunt adſecuti, Tironibus ſummopere eſt commendanda, ac veluti Exceptio quædam peculiaris *Præcepto V. De Contractione* neceſſariò adiicienda.

(14) Λιμήν. Constat *Vocabulum* hoc ex *Præverbio* λίαν, & *Verbo* μένω. Ex λίαν factâ *Apocope Litterarum* finalium ά, & ν, superest *particula Inseparabilis* λί, de quâ in *Additam. VI.* ad hoc *Præceptum VIII. De Compositione*; cuius ι *Vocalis*, nimirum, *Anceps Brevis* est, quia *priorem Compositionis partem* absolvit, iuxta *Versiculum Canonis*,

Ancipites brevia, quæ sunt in *parte priore*
Compositi &c.

(15) Βριήπυος. Supradictis *particulis* de meo ipsius adieci *particulam* similiter *Inseparabilem*, & *Epitaticam* βρῖ, quæ ἄγαν, idest, *valde* significat, à doctis etiam Prosodiographis minùs æquo observatam. Etenim huius *particulæ Prosodiam* instar aliarum *particularum Inseparabilium* in *Ancipitem* desinentium, quæ *priorem Compositi partem* claudunt, esse non credo: quippe quæ ante *Consonantem* alteram *Compositæ* Dictionis partem inchoantem, à nemine Græcorum Poëtarum, quantùm scio, correpta fuit.

Fortasse aliæ *particulæ Inseparabiles* recensitis omnibus superaddendæ non deerunt, sed postquàm hæ à præstanti aliquo, & à Græcâ Poësi non imparato Viro denuò repertæ fuerint, res tanti momenti non erit, ut in earum *Prosodiâ* cespitare quis debeat, quùm haud aliter iudicandum nobis sit de *particulis Inseparabilibus*, exceptâ βρῖ, inposterum huc advehendis, ac de iam advectis hactenus iudicavimus.



PRÆCEPTVM IX.um

De Alpha Æolico Declinationis I.æ & II.æ Simplicium Incremento.

A'Crescens *Longis Primæ* dabit, atque *Secundæ*
Simplicium in numero *Æolicus Genitivus* utroque.

INTERPRETATIO.

ALpha Incrementum, *quod* Genitivus Æolicus Primæ, *&* Secundæ Declinationis Simplicium *cùm* singularis, *tum* pluralis numeri *defert*, Longum *erit*.

ADDITAMENTA.

I. Ex quatuor *primoribus Nominum Declinationibus* nullum propriè dictum *Incrementum* exoritur, unde rectè adpellantur *Parisyllabæ*, idest, non crescentes in *Genitivo*, & reliquis *Casibus* ab eo defluentibus.

II. Potest tamen facilè fieri, ut *Nomina*, ad unam ex quatuor *primoribus Simplicium Declinationibus* pertinentia, aliquod in quibusdam *Casibus Incrementum* præferant. Et hoc prorsus contingit, quùm eadem *Nomina*, nonnullis adfectionibus, seu proprietatibus gaudent ex recepto quarundam in Græciâ Regionum usu.

III. Hæ, inquam, adfectiones, seu proprietates quodammodo *Incrementa* sunt, & *Dialectorum* adpellatione vulgò circumferuntur.

IV. Ex his *Incrementis* unum est, de cuius *Prosodiâ* iure merito dubitare quis potest, nimirum, Α', de quo hic unicè agimus, *Incrementum Æolicum*; nam cetera idgenus *Incrementa* constituunt vel *οἱ* ut in *λόγοιο*, vel *ῃ* ut in *μελίσσῃσι*, vel *ἑ* ut in *αἰνειέων*, vel *αἱ* ut in *αἰνεί-*

αισι

αισι, quæ quidem *Diphthongi*, & *Vocalis ι* à primo statim adspectu suam exhibent quantitatem.

V. Α' *Incrementum Æolicum*, quomodo ex huius *Præcepti Versiculis* liquet, locum non habet, nisi in *Genitivis* tum *singularibus*, tum *pluralibus I.ª & II.ª Decl. Simpl.*; hunc enim subiicimus sensum verbis – *in utroque numero* –; quandoquidem *Genitivus Dualis*, quem vocant, numeri hocce *Æolico Incremento* caret omnino, quippe qui nulli *Dialecto* inservit, sed perpetuò communi Græcorum Linguâ inflecti debet.

VI. Hæc Tironibus vel sumto in manus quovis Græcæ *Prosodiæ* Scriptore, adfatim sese præbitura erunt; monenda tamen duximus, ne omisisse videremur.

EXEMPLA.

(1)

Τοίω τὼ χείρεσσιν ὑπ' Αἰνείαο δαμέντε. *Hom. Il. έ, v.* 559.

(2)

Μυσάων θ' αἳ ἄειδον, ἀμειβόμεναι ὀπὶ καλῇ. *Hom. Il. ά, v.* 604.

OBSERVATIONES.

(1) Αἰνείαο. Αἰνείας *Nom. Sing. Declin. I.ª Simplicium. Genitiv.* Αἰνείου, unde Αἰνείαο *Genitiv. Æolicus*. Probatur autem illud ᾱ in *penultimâ Genitiv. Æol.* Αἰνείαο *Longum* esse ex eo, quòd *Syllabæ* tres = ἄο δα = *Dactylum* exserunt, cuius peculiare est, ut prima *Syllaba Longa* sit. Lege adnotata in sequenti *Observatione*.

(2) Μυσάων *Genitivus Æolicus* pro *comm.* μυσῶν ex *Declin. II.ª Simpl. plur. num.* Porro adtendenti *Syllabas* μυσά *Spondæum* efficere, manifestè patebit ᾱ in *penultimâ vocis* μυσάων *Longum* esse; adeò ut neque istud, neque illud, quod *penultimæ vocis* Αἰνείαο, aut omnibus aliis *Genitivis Æolicis* tum *singularibus*, tum *pluralibus* inest, ex *vulgato* illo *Canone* de *Vocali ante Vocalem* corripere nunquam liceat. Ceterùm rem per se claram, & nulli non manifestam pluribus exemplis non oneramus.

PRÆ-

PRÆCEPTVM X.um

De Alpha Incremento Declinationis V.æ Simplicium, quæ vulgò adpellatur Imparisyllaba.

IN *Rapidis* crescens numerant A′ *Nomina Quintæ*.
Excipitur κρὰς, ψὰρ, κὰρ, λᾶς, *Genitivus* in ἄνος,
Ex *Recto* satus ἄν, qui mas vel femina prodit;
Πᾶς cum *Compositis*, & quæ dant *Nomina Longum*
A′ *Positu* in *Patrio*. *Variis* κέρας adiicit. Usus
A′ξ *Recti Breve Crementum*, *Longumve*, docebit.

INTERPRETATIO.

NOmina Declinationis V.æ Simplicium, (*quæ vulgò* Imparisyllaba, *ex eo quòd crescit in* Genitivo, *dicitur*,) Alpha Incrementum *corripiunt*. *Nihilominus quatuor hæc* Nomina κρὰς - κρατὸς; ψὰρ - ψαρὸς, κὰρ - καρὸς, λᾶς - λαὸς *suum producunt* Incrementum. *Producunt item suum* Nomina *generis dumtaxat masculini*, *&* *feminini*, *quorum* Genitivus *desinit in* ἄνος à *Recto desinente in* ἄν. *Producit etiam* Incrementum A′ Nomen πᾶς *cum suis* Compositis, *&* *omnia* Nomina, *quæ habent* Alpha Incrementum *in* Genitivo singulari Positione Longum. Κερὰς *in* Incremento *variatur*. *Usus tandem*, *quæ* Nomina *finita in* ἄξ Breve, *quæve* Longum Incrementum *postulent*, *adprimè docebit*.

ADDI-

ADDITAMENTA.

I. In hoc exponendo, *Præcepto* Græcæ *Prosodiæ* Scriptores non omnes unà eâdemque methodo usi sunt. Alii enim longiorem ineunt viam, expeditiorem alii consectantur: nec desunt, qui tandem de hoc agere *Incremento* nimis solliciti, eò deveniunt, ut immensâ exceptionum copiâ vel à Græcæ Linguæ cognitione paratos obruant, Tironibus verò quàm maximam creent confusionem.

II. Ut ingenuè fatear quod sentio, omnibus præstat *Vir Eruditissimus T. Morell*, qui in suo brevi quidem, sed adcurato de *Re* Græcorum *Metricâ*, quo præmisso, *Thesaurum Græcæ Poëseως*, opus itidem suum egregium cedroque dignum munivit, Tractatu, compendiarium hunc, & universa *Nominum Incrementa* complectentem *Canonem* confinxit vulgavitque:

" *Ancipitum* quantitas in *ultimâ vocis Rectæ* manet
" plerunque in *penultimâ vocis Variatæ*."

III. Itaque ex eo *Canone*, paucis accedentibus animadversionibus ex propriâ penu depromtis, istud formari *Præceptum* rectè poterit, indeque etiam Tironibus, si secus Ludimagistris visum non fuerit, proponi memoriæ committendum.

De Incremento, Sive Penultimâ Obliquorum Imparium.

QUanta est *ultima* in *Nominativo singulari* vocum imparium, tanta erit & in *Obliquis*: Exempli gratiâ, ἡ παλλὰς definit in ας *Breve*; ergo *Genitivus* παλλάδος corripiet *penultimam*. E' contra, quia πᾶν *Longum*
est

est, similiter *Longam* habebit *penultimam* παιδὸς, παιδὶ, ϖᾶνα &c.

I.mo *Exceptione* laborant *Nomina*

Πῦρ, ψίθυρ, δρῦς, μῦς, σῦς, ὗς,

quæ, etsi in *Nominativo* producunt ῦ, in *Obliquis* tamen illud corripiunt.

Notandum, aliquoties μῦς in *Batrach.* inveniri productum in *Obliquis*; sed hæ auctoritates, non magni faciendæ, utpote quæ, si cum propè innumeris conferantur, in quibus ύ ex *Nominativo* μῦς in *Obliquis* corripitur, nimis conflaccescunt. Ad quod quùm animum rectè advertisset *Barnesius*, quoties in antedicto Poëmatio istud ύ extensum repperit, toties locum corruptè editum existimavit, proindeque mutandum, uti & fecit, Textum censuit. In *Barnesii* sententiam concedunt Prosodiographi ferè omnes; indeque fit, ut qui Criticæ litant, idem Poëmation *Homeri* ne sit, in dubium revocent.

II.do Excipies,

Ἅλς - ἁλὸς, αὖλαξ - αὔλακος, κῆλαξ - κήλακος &c.

quæ solâ *Positione* in *ultimâ Nominativi* producuntur, & in *penultimâ Obliquorum* corripiuntur. Multa tamen ex his, ut ἅλς, & αὖλαξ ex *Accentu ultimam* solâ *Positione Longam* habere dignoscuntur; neque enim, si naturâ producerentur in *ultimâ*, αὖλαξ Ex. Gr. *Circumflexum* deferret in *penultimâ*, neque ἅλς *Gravem* admitteret; sed αὖλαξ *Acuto* in *penultimâ*, ἅλς verò *Circumflexo* in *ultimâ* pingeretur.

III.tio Quædam *Longam* naturâ *Vocalem*; vel *Diphthongum* in *ultimâ Nominativi*, postea in *penultimâ Obliquorum* mutant in *Brevem*, ut εὐδαίμων - εὐδαίμονος, ποιμὴν - ποιμένος, βασιλεὺς - βασιλέος.

IV.to Sunt etiam, quæ *Diphthongum Nominativi* mutant in *Ancipitem*: quæ tamen in *Genitivo Brevis* evadit, ut ναῦς - ναὸς, γραῦς - γραὸς.

V.to Multa item in *ultimis Nominativi Syllabis Brevia*,

via, *Longa* exeunt *Positione* in *penultimis Obliquorum*, ut τυφθὲν - τυφθέντος, τύπτον - τύπτοντος.

Ceterùm, si, præter hæc omnia, *Vocalium Ancipitum* in *extremis Dictionum Syllabis* quantitas, de quâ in huius *Sectionis Secundæ Cap. II.* agemus, perspecta habeatur, non dubitamus, quin propositus *Canon* aptissimus ad ostendendam *Prosodiam* omnium *Nominum*, in eo quod ad eorum adtinet *Incrementa*, futurus sit. Interim in viam, à quâ parumper digressi sumus, revertimur.

IV. *Nomina*, quæ *Syncopen* perpetiuntur, nimirum, πατὴρ, μήτηρ, ἀνὴρ, θυγάτηρ, γαστὴρ, ad hanc *Regulam* pertinent, & *Incrementum* Alpha corripiunt, haud secus ac alia *Nomina* ad hanc ipsam *Regulam* propter Alpha *Incrementum* referenda, quæ nullâ Exceptione laborant. Exinde πατράσι, μητράσι, ἀνδράσι, θυγατράσι, γαστράσι &c. *Brevem penultimam*, ubi Alpha *Incrementum*, ut præmonui, reperitur, indubitanter exposcunt.

V. Nec recedit à generali *Præcepto* de *Incremento* Alpha in *Nominibus* corripiendo *Nomen* φὰψ - φαβὸς, quantumvis ex Prosodiographis sanè non desit, qui locum ei inter Exceptiones adsignet. Etenim *Breve* illi *Incrementum* inesse constat ex *Lycophrone*, cuius hic *Versus*, 580. in *Alexandrâ*;

Οἰνοτρόπους Ζάρηκος ἐκγόνους φάβας.

VI. Erit autem cum emolumento, (contra quod non satis à Græcâ Prosodiâ peritis fortasse videbitur,) inter Exceptiones ad præsentem *Regulam* positum *Nomen* πᾶς cum *Compositis*, & alia *Nomina*, quæ ei in *Genitivo* παντὸς cum Alpha *Incremento* per *Positionem Longo* æquiparantur. Primò, quia, etsi in *Dativo plurali* nonnulla *Nomina*, ut πᾶσι &c. ex *Accentu Longum Incrementum* habere dignoscuntur, in aliquibus tamen, aut, si mavis, plerisque, scilicet, σύμπασι, ἅπασι, τύψασι &c. aqua profectò hæreat necesse est, atque eorum in *penultimis* quantitas ex *Prosodiæ Regulis* omnino peten-

tenda sit. Secundò, quia Alpha *Incrementum* ad *Regulam* generalem tanquam exactum, *Breve* illis inesse quispiam cogitans, posset illud vel ante binas *Consonantes* corripere ex *Præcepto III. De Positione*, quomodo rectè corripitur *prima* in σαθμὸς, καμνὺς, δάκνει, δραχμὴ, ἀκμὴ, λύχνος &c. solâ *Positione*, non naturâ procul dubio *Longa*. Ex superiori igitur factâ Exceptione ista saltem duo, quæ vel cornicum oculos aliquando configerent, profligantur incommoda, ex neglectâ verò, non item. Monemur insuper hâc Exceptione, nos haud posse cum vulgò arbitrari, *vocem* πασέων ex hoc *Iliad. ι*, *v.* 330;

Τάων ἐκ πασέων κειμήλια πολλὰ καὶ ἐσθλά,

depromtam à *Brevibus* duabus incipere, aut fas esse illud *ά* per *Licentiam* sanari; nam quandoquidem *prima* in παντὸς ex *Incremento Longa* est, per *Analogiam*, cuius observantissimos Græcos Poëtas novimus, etiam in πασέων *Longa* sit oportet, quæ, ut corripiatur, nullâ unquam *Licentiâ* committi potest.

Ne autem excitatus *Homeri Versus* in numero habeatur eorum, quos *Athenæus* ἐν μέσῳ χωλότητα ἔχοντας vocat *Lib. XIV. Cap.* 8; dicendum, τὸ πασέων ibi pronuntiandum esse πασῶν, *primâ* necessariò productâ, *penultimâ* verò & *ultimâ* in unam *Longam Syllabam* coälescentibus.

VII. Quod ad Alpha *Incrementum* ex *Nominibus* profluens in άς desinentibus adtinet, Græcæ *Prosodiæ* quidam Scriptores sibi metipsis oppidò plaudunt, quod non inidoneas invenerint *Regulas*, ex quibus, quæ *Nomina* finita in άς *Breve*, *Incrementum*, & quæ *Longum* habeant, haurire liceat. Nulla tamen ex illis est, si quid ego sapio, quæ hoc in negotio Tironibus molestias non creet. Quare illis, posthabitâ eiusmodi *Regularum* farragine, adcuratam Poëtarum Græcorum lectionem consulere satiùs iudicamus.

EXEM-

EXEMPLA.

(1)
Εἶλε μέλας θάνατος, ψυχὴ δ' ἐκ σώματος ἔπ7η. *Hom. B. v.* 207.

(2)
Κρατὸς ἀπ' ἀθανάτοιο, μέγαν δ' ἐλέλιξεν ὄλυμπον. *Hom. Il.* ά, *v.* 530.

(3)
Τῶν δ' ὥϛε ψαρῶν νέφος ἔρχεται ἠὲ κολοιῶν. *Hom. Il.* ῥ, *v.* 755.

(4)
Νάϛης αὖ Καρῶν ἡγήσατο βαρβαροφώνων. *Hom. Il.* β', *v.* 867.

(5)
Ξεϛοῖσι λάεσσι, περισκέπτῳ ἐνὶ χώρῳ. *Hom. Odyſſ.* κ', *v.* 253.

(6)
Πανὶ φέρω τὸ μέλισμα τάχ' ἂν κᾀκεῖνος ἐρεῖσαι. *Bion, Idyll.* 3. *v.* 56.

(7)
Οἰωνοῖσι τε πᾶσι. (Διὸς δ' ἐτελείετο βȣλή.) *Hom. Il.* ά, *v.* 5.

(8)
Ἀλλὰ γνῶθι μὲν ὡς θανέειν πέπρωται ἅπασι. *Pythag.* χρυ. ἔπ. *v.* 14.

(9)
Δίφρος δὲ χρυσέοισι καὶ ἀργυρέοισιν ἱμᾶσιν. *Hom. Il.* έ, *v.* 727.

(10)
Φύσις κέρατα ταύροις. *Anacr. Od.* 2.

(11)
Γνάμπ7ε βίῃ κρατεροῖο κεράατος; οἱ δέ οἱ ἄμφω. *Quin. Calab. Lib.* 1.

(12)
Πίδακος ἐξ ἱερῆς ὀλίγη λιβὰς, ἄκρον ἄωτον. *Callimach. Hym. in Apoll. v.* 112.

(13)
Ἴρηκες δ' Ἴρηξιν· ἐμὶν δ' ἁ μῶσα κ̀ ᾠδά. *Theoc. Idyll.* 9. *v.* 22.

OBSERVATIONES.

(1) Σώματος. Σῶμα *Nominativus ſing.* ad *Declin. V.am Simpl.* pertinens; exinde *Genitivus* σώματος cum ά *Incremento Brevi;* σώματος enim *Dactylus* eſt.

(2) Κρατὸς *Genitivus Sing.* à *Nominativo* κρὰς, qui *Longum* præfert, uti videtur, *Incrementum*. Quocum *Regulæ* congruit, ubi hoc *Nomen* ſingillatim excipitur.

(3) Ψα-

(3) Ψαρῶν *Genitivus plur.* à *Nominativo* ψὰρ, cuius pariter *Incrementum* discedit à communi *Regulâ*; unde *prima* in ψαρῶν *Longa* est.

(4) Καρῶν item *Genitivus plur.* à *Nominativo* Κὰρ, *Longo* gaudet *Incremento*. *Prima* tamen *vocis* Κάρεσσι corripitur apud *Theocritum*, cuius hic *Versus* est:

Σημαίνει, Λυκίοις τε, φιλοπτολέμοις τε Κάρεσσι.

Idyll. 17. *v.* 89.

Idipsum observavit etiam *Iacobus Gretserus De Increm. Nom. Cap. IX. num.* 4. *in Adnotat.*

(5) Λάεσσι. Videas in hâc *voce* A' *Incrementum* similiter *Longum*. Λάεσσι *Dativus Poëtic.* formatur à *Genitivo sing.* λαὸς, cuius retinet ά in *antepenultimâ*. Λαὸς verò iam dictum supra in Interpretatione à λᾶς derivari. Quod si declinetur ὁ λᾶας, τοῦ λάαος, etiam *Breve* recipit *Incrementum*.

Λάασι δ' εὐτύκτοις δωμήσατο οἶκον ἀνάσσῃ.

Orpheus in Argonaut.

(6) Πανὶ *Dativus sing.* à *Nominativo* Πὰν *Syllabam priorem*, ubi A' *Incrementum*, protrahit. Πὰν Græca *vox*, Latinè est *Pan*, *Deus Pastorum*; πᾶν verò Græcè, *omne* Latinè vertitur. Utranque *vocem* unicus *Accentus* discriminat. Quod dictum obiter sit. Quantùm verò ad *Prosodiam* adtinet, quia *Nominativus* Πὰν generis est masculini, in άν desinit, & ex se *Genitivum* finitum in άνος egerit, habitâ *Incrementi*, exinde defluentis, ratione, *Regulæ* subiacet expressæ his verbis:

Excipitur . . . . *Genitivus* in άνος,
Ex *Recto* satus αν, qui mas vel femina prodit;

& consequenter A' *Incrementum* extendit. Perinde existimandum est de aliis quibuscunque *Nominibus* unâ cum Πὰν ὁμοιοπτώτοις tum in *Nominativo*, tum in *Genitivo singulari* generis masculini iuxta ac feminini (si quæ feminini inveniantur, quod vix credo); neutrius tamen non item, licèt hæc sint in duobus prædictis *Casibus* cum πᾶν ὁμοιόπτωτα.

πτωτα. Quo fit, ut, vel rectè, observante *Gretsero de Increm. Nom. Cap. IX. num. 5. in Adnotat.*, τὸ μέλαν - μέλανος, τὸ τάλαν - τάλανος communem sequantur *Regulam*, ideft corripiantur in *penultimâ Obliquorum*.

(7) Πᾶσι cum A' *Incremento Longo*. De necessitate excipiendi à communi *Regulâ Nomen* πᾶς - παντὸς copiosè egi in huius *Præcepti Additam. VI*; adeò ut nihil, quod alicuius videatur momenti, dicendum supersit. Notandum tamen hic loci est, *Nominativum* πᾶσα, & præcipuè, qui inde nascuntur, *Casus Obliquos*, in quibus *penultimæ* quantitas ex *Accentu* dignosci non potest, iuxta *Analogicas* Regulas ab A' *Longo Incremento Nominis* πᾶς promanantes, ad quas exigi, oportet, *penultimam Longam* habere, quæ ut corripiatur, quantùm augurati sumus in nuper adlato *Additamento*, nullâ unquam committi *Licentiâ* poterit.

(8) Α῎πασι *Syllabâ mediâ* productâ. Quantitas in *Dativo plur.* πᾶσι *vocis Simplicis* perinde est, ac in *Dativo plur.* ἅπασι *vocis Compositæ*. Inter ἅπασι & πᾶσι solius intercedit *Accentûs* discrimen; ex quo *penultima* in πᾶσι *Longa* colligitur, in ἅπασι verò σύμπασι &c. non item; sed harum *vocum Prosodia* in *penultimis* ut agnoscatur, *Regulâ* de A' *Incremento*, & *Exceptione* in ipsâ verbis prolatâ — *cum Compositis* - opus est.

(9) Ἱμᾶσι *Dativus plur.* cum A' *Incremento Longo* in *penultimâ*. Ἱμὰς *Nominativus sing.*, inde *Genitivus* ἱμάντος, cui ᾶ *Positione Longum*; quod satis est caussæ, cur illud A' *Incrementum* produci debeat in *Dativo plur.* ἱμᾶσι, ubi *Positio* minime potest sustineri. *Regulæ* verba hæc sunt:

. . . . & quæ dant *Nomina Longum* A' *Positu* in *Patrio* &c.

Non absimilis erit *Prosodia* in *penultimis Dativorum pluralium* ἐλέφασι, τύψασι &c. à *singularibus Genitivis profluentium*, in quibus reperitur A' *Incrementum Positione* similiter

liter *Longum*; licèt in illis *penultimæ* quantitas, contra quod fit in ἱμᾶσι, ex *Accentu* nequeat diiudicari.

(10) Κέρατα *vox mediam*, ubi A' *Incrementum* est à *Nominativo* κέρας, producit. Κέρατος aut κεράατος ā *Longo* interposito ante alterum ά, idipsum A' in *penultimâ* corripit *Incrementum*. Quo fit, ut huius *Nominis Incrementum*, ad quantitatem quod adtinet, variari, hoc est, corripi pro arbitrio, vel produci queat. Exempla tum *Anacreontis*, tum *Quinti Calabri* ex *Iacobo Gretsero De Increm. Nom. Cap. IX. num. 2.* in *Adnotatis*, supra in medium adtuli, quatenus in eius sententiam pro eo, quantùm ad solius *Nominis* κέρας *Prosodiam* pertinet, libenter concessi. In illis tamen, quæ ex *Longo* eiusdem *Nominis Incremento Vir* ille *Eruditus* infert ita præfatus *Anacreontis Versiculum* φύσις &c.

„ Videntur neutra in ἁς aliquando *Incrementum* habere *Longum* „

iudicii periculum præstare nolo, sed provectioribus in Græcâ Poësi, & nil sine auctoritate exemplisque molientibus intactum relinquo.

11) Κεράατος. Confer Adnotata in superiori *Observatione*.

(12) Πίδακος corripitur in *penultimâ*, ubi A' *Incrementum* exstat. Πίδακος *Genitivus*, à *Nominativo* πίδαξ, cuius *penultimam* acuunt in universum Lexicographi, adeò ut ex *Accentu* hanc vocem *Breve Incrementum* habere colligi nequeat, quomodo ex *Accentu*, quo pingitur αὖλαξ constat, iuxta *Regulam*, quam in *Additam. III*, ad hoc *Præceptum*; *Except. II.* supra præstruximus. Exinde necessitas ad usum, & auctoritatem eundi, ut de complurium *Nominum* in ἀξ desinentium, ad eorum *Incrementa* quod adtinet, quantitate nobis constet; quam quidem, Exempli Gratiâ, in πίδακος, & in *Obliquis* perpetuò & constanter *Brevem* esse nos *Calabri*, *Nonni*, *Dolscii*, *Oppiani*, & *Anthologiæ* exempla docebunt.

Vi-

Videas *Conradum Dinnerum verbo* πῖδαξ, ubi prædicto-rum Scriptorum auctoritates congeruntur.

(13) Ἵρηκες factâ *Crasi* pro ἱέρηκες more *Dorico*; communi *Dialecto* effertur ἱέρακες à *Nominativo* ἱέραξ, cuius *ultima Positione* æquè, ac Naturâ *Longa* est, quamvis ex *Accentu* non liqueat. Et quod sit *Positione Longa*, nemini dubium esse potest; Naturâ verò *Longam* esse probatur ex eo, quòd *Nomen* ἱέραξ *A' Incrementum* exserit *Longum*; *Doricè* enim ᾱ, nisi *Longum* sit, nunquam mutatur in ῆ. Confer *Additam. III. Except. II.* ad hoc *Præceptum*; & *Additam. III.* ad *Præceptum VI. De Dialecto* sub finem.



PRÆ-



PRÆCEPTVM XI.um

De Iota Incremento Declinationis V.a Simplicium.

I crescens *Quintæ Rapidum*. Muliebria *Longis*
Ις, Ιν in *Recto* gaudent & Mascula. *Longum*
Vult Ις femineum, *fini* quod pingit *Acutum*,
Ις quoque, cui præerit bina *Immutabilis*, ac Ις
Ante *Breves* binas positum, *Monosyllabon* æquè
Ις, (duo si demas Τὶς, Δὶς,) cui iungito quotquot
Ιψ - ῖπος flectes, necnon ὶξ, - ῖγος, & ῖκος.

INTERPRETATIO.

INcrementum *Iota in* Quintâ Simplicium Declinatione Breve *est*. Nomina Dicatalecta, *seu*, *quæ recipiunt in* Nominativo *utranque terminationem*, *scilicet*, Ις, & Ιν, *& sunt tum feminini generis*, *tum masculini*, Longo *gaudent* Incremento. *Item* Longum Incrementum *exserunt* Nomina *finita in* Ις, *quæcunque erunt* oxytona, Nomina *finita in* Ις *quæ ante* Ις *duas* priores *corripiunt*, *& Nomina similiter finita in* Ις quæ ante Ις *duas habent* Immutabiles. Monosyllaba *in* Ις *desinentia producunt etiam* Incrementum *Iota*, *exceptis duobus* Nominibus τὶς - τινὸς, & Δὶς - Διός. *Tandem Iota* Incrementum *producunt* Nomina *in* ὶψ - ῖπος, *& in* ὶξ - ῖγος, *vel* ῖκος.

AD-

ADDITAMENTA.

I. Rem minùs adtigerunt huic *Præcepto* operam navantes, quorum Scripta nobis ad manus sunt, Græcæ *Prosodiæ* Scriptores. Solent enim post conditam Legem de Iota *Incremento* in *Quintâ Nominum Simplicium Declinatione* corripiendo, immensam propemodum *Nominum* seriem, quæ ab eâ lege recedunt, comparare & in vulgus edere. Quo fit, ut memoriæ mandantibus & gravius istud *Præceptum* in universum efficiatur, & iis, quæ opus sunt, non satis accommodatum.

II. Itaque serie illâ gravi & incertâ omnino posthabitâ, ad *Regulas* confugere concisas illas quidem & perspicuas, quales Adolescentibus scripturum decent, singulas tamen Exceptiones longo ab aliis Prosodiographis digestas ordine, & explicatas complectentes, animum induxi. Has igitur adtendant Adolescentes necesse est, &, si quid magis in Græcâ *Prosodiâ* præstare velint, quæ infra *Additamenta* in ipsas subiicio, legere ac pensitare non dedignentur.

III. *Primori*, & *altero* huius *Præcepti Versiculo* difficultas nulla, ut mihi videtur, inesse potest. In illo quippe agitur de Iota *Incremento* generatim breviando; in hoc de eodem producendo in *Nominibus Dicatalectis*. *Tertius Præcepti Versiculus* docet, *Nomina Oxytona* in Ιˢ finita generis feminini *Longum Incrementum* præferre. Huiusmodi sunt ἀψὶς, βαλβὶς, κηλὶς, καρὶς, κληὶς, κνημὶς, κρηπὶς, νεβρὶς, νησὶς, σφραγὶς cum *Compositis*. Ex his, non me quidem fugit, ἀψὶς, καρὶς, κηλὶς, & νεβρὶς à plerisque dici *Crementum* variare. Verùm ἀψὶς & κηλὶς *Vir Eruditus T. Morell* nusquam meminit in *Incremento* correpta *Nomina*. Pro *Brevi Incremento vocis* νεβρὶς idem *Vir Eruditus* hanc profert *Theocriti* auctoritatem:

Νεβρίδα, τὴν πήραν ᾇ ποκ᾽ ἐμαλοφόρει. *Ep.* 2. *v.* 4.

Notandum obiter hic est, *vocem* νεβρίδα ex *Properispomenâ* factam *Paroxytonam* ad hoc, ut eius *penultima* corripiatur, quam, quia *Dionysius* de *Situ Orb.* *v.* 944, produxit, νεβρῖδα rectè scripsit, non νεβρίδα.

Ex *Aristophane* verò mox laudatus *T. Morell* probat, aliam *vocem* καρὶς *Breve* item *Incrementum* habere:

Καρίδων ἀδελφοί. *In Vesp. v.* 1513.

sed pergit " Tutius est, ut opinor, producere „ Meliùs dixisset „ unicè verum est, producere. „ Neque aliter profectò res habet. Etenim, etsi nullum non movi lapidem, ut *vocum* νεβρὶς & καρὶς cum *Incremento Brevi*, præter memorata, alia aucuparer exempla, nullum tamen adsequi mihi fas fuit, sed omnia nactus sum, quæ perpetuò & constanter *Longo* prodebantur *Incremento*. Quamobrem his verbis *Præceptum* coërcui:

. . . . *Longum*
Vult Ι͂ς femineum, *fini* quod pingit *Acutum*.

Atque hic loci *voces* νεβρὶς & καρὶς vel simplici vice in *Incremento* correptas in Adolescentium gratiam, non omisisse satis habui.

IV. Alterâ Exceptione cautum est, ut *Nomina*, quæ ante Ι͂ς *Consonantes* duas *Immutabiles* habent, *Longum* ex se egerant *Incrementum*. Eiusmodi autem sunt ὄρνις, μέρμις, & similia, ex quibus *Genitivus* exit in ῖθος cum *penultimâ Longâ*: ut ὄρνιθος, μέρμιθος. Ceterùm, quæ sint *Immutabiles Consonantes*, ex Grammaticis liquet, & ex *Sect. I.mâ* huius *Operis*, *Cap. I.*

V. Βατραχὶς, κανονὶς, πλοκαμὶς, ῥαφανὶς, σισαμὶς, & si quæ aliæ sunt *voces Trisyllabæ*, in quibus finalis Ι͂ς ante se duas recipit *Breves Syllabas*, *Longum* quoque *Incrementum* Iota depromunt. Exempla vide, si libeat, in *Thesauro T. Morell*. Si verò à me quæras, cur hæc *Nomina Longum Incrementum* exhibeant, responsum accipies, Græcos Poëtas pro more suo *Breves Syllabas* tres simul exstantes in eâdem *voce*, aut Dictione, quomodo

in

in prædictis *Nominibus* videre esset, si Iota *Breve Incrementum* exinde deflueret, æquis oculis nunquam adspexisse.

VI. Hanc proximè sequitur alia *Exceptio*, *Nominum*, scilicet, quorum *Rectus* unâ tantùm *Syllabâ* constat. Legentibus *Prosodiæ* Græcæ Scriptores, & qui inter eos primas obtinet, *Iacobum Gretserum*, ex eorum collatione observare licebit, *Nomina Monosyllaba in universum*, vel, ut malunt nonnulli, *Monosyllaba duarum terminationum*, sive *unius tantùm*, *præter* Δὶς - Διὸς, *quod præfert correptum*, *Longum hîc loci Incrementum expostulare*. Inquirendum modò, an id veritati consentaneum sit, necne. Ut certè, quod sentio, dicam, utique non novi, primò, cur excipienda essent *Monosyllaba in universum*, manifestum quùm sit τρὶξ, ϛὶξ, τρὶψ, & complura alia *Brevi* constare *Incremento*; secundò non intellexi, quomodo huic pariter *Exceptioni* obnoxia forent *Monosyllaba Nomina duarum terminationum*, quæ statim, ut duas in *Recto* exhibeant terminationes, audiunt *Dicatalecta*, & consequenter latâ tum à me, tum ab illis lege, iam excepta; neque mihi tandem innotuit cur laborent *Exceptione Monosyllaba unius dumtaxat* in *Nominativo terminationis*, quia, ut mox adserebam, τρὶξ *Monosyllabon Brevi* subiacet *Incremento*: immò, quùm *Monosyllaba* omnia in Ι̃ν finita, ne excepto quidem θὶν - θινὸς, & ῥὶν - ῥινὸς, ut ex Lexicographis liquet, in Ι̃ς etiam desinant, & ob id *Dicatalecta* sint, hinc factum est, ut inter *Exceptiones* locum habere non possint, nisi *Nomina Monosyllaba* in Ι̃ς finita, quod unum maximè omnium hoc in *Præcepto* præstiti, exceptis τὶς - τινὸς, & Δὶς - Διὸς, quæ in *Incremento* apud Græcos Poëtas ubique corripiuntur.

VII. Postremò animadversum est, *Nomina* in ἶψ - ἶπος, & in ἶξ - ἶγος vel ἶκος Iota *Incrementum* producere. Quantùm adtinet ad *Nomina* in ἶψ - ἶπος, res adeò certa est,

S 2 ut

ut nemini dubium esse possit, quin omnia *Longo Incremento* addicta sint. A' *Nominibus* verò in ῖξ - ῖγος reiicit μαςὶξ *Iacobus Gretserus*, quod *Breve Incrementum* habere colligit, ex subiectâ *Gregorii Nazianzeni* auctoritate:

Μάςιγας Αἰγύπτοιο κακόφρονος αἰὲν ἀρίθμει.

Confer eius *Prosodiam de Increm. Nom. Cap. X. num.* 4. in *Adnotatis*. Quocum facere videtur & *T. Morell de Re apud Græcos Metricâ*, ubi agit de *Incremen.*. Verùm pace utriusque *Viri Eruditi* dicam, *Nomen* μαςὶξ non discedere à communi *Regulâ*, *Longumque* ab eo *Incrementum* defluere haud aliter, quàm à reliquis *Nominibus* in ῖξ - ῖγος desinentibus, defluit. Nec obstat, quòd ab *Homero* correptum fuisse videatur plerisque omnibus *Iliad.* ψ, *v.* 500; sic legentibus

Μάςιγι δ' αἰὲν ἔλαυνε κατωμαδὸν· οἱ δέ οἱ ἵπποι.

Nam ibi pro *vulgato* μάςιγι restituendum esse μάςι *Barnesio*, & *Clarkio* probantibus, non ambiguè docet *Eustathius* ad *Iliad.* ψ, *v.* 315; his verbis " τὸ δὲ μάςιγι, μάςι τινὲς γράφυσι, ἐκτείνοντες τὴν λήγυσαν· ὁμοίως τῷ, ἔςιν, ὥσπερ μῆτις, μήτιος, μήτιϊ, κ) κατὰ κρᾶσιν, μήτι· ἔςτω κ) μάςις, μάςιος, μάςιϊ, μάςι.„ Hæc autem *Eustathii* Lectio subiecto firmatur *Homeri Versiculo*, ubi legitur *Accusativus* μάςιν, quem à *Nominativo* μάςις, non μαςὶξ, derivari planum est.

Ηʹ, κ) ἐφ' ἵπποιϊν μάςιν βάλεν· οἱ δὲ μάλ' ὦκα. *Odyss.* δ, *v.* 182.

Tandem, quùm ab ipso *Homero Iliad.* ψ, *v.* 642; & alibi *Nomen* μαςὶξ in *Incremento* producatur, exinde patet, verisimilem esse coniecturam, quâ supra *Eustathius* emendavit μάςι pro μάςιγι; nec aliam rationem comminisci nos posse, quâ eiusmodi errata emendemus, apud quoscunque ex antiquis Scriptoribus inveniantur.

VIII. *Gentilia* etiam *Nomina*, idest, quæ Gentem aliquam vel Nationem designant, in *Incremento* producenda

sunt

ſunt iuxta nonnullos; verùm res ita clara non eſt, ut illis acquieſcere debeamus, præſertim quùm Θρήϊκος & Θρήϊκες *Gentile Nomen*, alterum ab *Arato* in *Phænom. v.* 355; productum in *penultimâ*; alterum ab *Homero Iliad.* δ', *v.* 533; in eâdem *penultimâ* correptum ſit. Quare tutius erit, *Gentilium Nominum* in *Incremento* Iota *Proſodiam*, vel ad hoc ipſum *Præceptum* exigere, ſi Vett. Poëtarum exempla non ſuppetant, vel ſi ſuppetant, ab eâ, quam præferunt, menſurâ non diſcedere.

EXEMPLA.

(1) Τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή. *Hom. Il.* α', *v.* 249.

(2) Ὡς δ' ὑπὸ δελφῖνος μεγακήτεος ἰχθύες ἄλλοι. *Hom. Il.* φ', *v.* 22.

(3) Χρυσῆς ἐκ κόρυθος· λαμπραὶ δ' ἀκτῖνες ἀπ' αὐτοῦ. *Hom. Hym. Sol. v.* 10.

(4) Κνημῖδας μὲν πρῶτα περὶ κνήμῃσιν ἔθηκε. *Hom. Il.* λ', *v.* 17.

(5) Νηῒ δ' ἐνὶ γλαφυρῇ κατέδει μέρμιθι φαεινῇ. *Hom. Odyſſ.* κ', *v.* 23.

(6) Τῶ χαρίεντος Ὕλα, τῶ τὰν πλοκαμῖδα φορεῦντος. *Theoc. Idyll.* 13. *v.* 7.

(7) Πρίν τινα πὰρ Τρώων ἀλόχῳ κατακοιμηθῆναι. *Hom. Il.* β', *v.* 355.

(8) Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα, τὸν οὐδέποτ' ἄνδρες ἐῶμεν. *Arat. in Phæn. v.* 1.

(9) Δειλαίῳ ἶνές τε καὶ ὀστέα μοῦνον ἔλειφθεν. *Callimach. Hym. in Cer. v.* 94.

(10) Φράξε δέ μιν ῥίπεσσι διαμπερὲς οἰσυΐνῃσι. *Hom. Odyſſ.* ε', *v.* 256.

(11) Ἐσθλοὶ τεττίγεσσιν ἐοικότες, οἵτε καθ' ὕλην. *Hom. Il.* γ', *v.* 151.

(12) Οἰνεὺς μὲν ζωστῆρα δίδου φοίνικι φαεινόν. *Hom. Il.* ζ', *v.* 219.

OB-

OBSERVATIONES.

(1) Μέλιτος *Genitivus sing.* à *Nominativo* μέλι generis neutrius. *Vox* μέλιτος *penultimam corripit*, ubi eſt Iota *Incrementum*. Perinde ſe habet in reliquis *Nominibus Quintæ Declinationis Simplicium* maſculini & feminini generis, quorum exempla videas apud *Homerum Iliad.* έ, *v.* 732; - β', *v.* 389; - ξ', *v.* 269; & alibi. Neque ab his excipi debent *Nomina* in *Recto Monoſyllaba*, ſaltem in univerſum, quomodo placuit nonnullis, præter Δὶς - Διὸς, & τίς - τίνος, quandoquidem etiam *Monoſyllaba*, ſi, quæ infra recenſeam, demas, Iota *Breve Incrementum* poſtulant. Hinc *priorem* in ςιχὸς à *Nominativo* ςὶξ corripuit *Homerus Iliad.* π', *v.* 173; itemque in τρίχας à *Nominativo* τρὶξ *Heſiodus* in *Scuto Herc.* *v.* 391; *&c.* Quæ omnia *Præcepti* verbis adprimè congruunt,

I' creſcens *Quintæ Rapidum &c.*

(2) Δελφῖνος *Genitivus sing.* à *Nominativo* ὁ δελφὶς, vel ὁ δελφὶν ortus. Quod *Nomen* in *Recto* utranque ſibi adſumit terminationem IˇΣ, IˇN; unde Græci illud adpellant δικατάληκτον, ideſt, *dupliciter deſinens*. Idem dicendum de *Genitivo* ἀκτῖνος à *Nominativo* itidem deſinente *dupliciter* ἀκτὶν & ἀκτὶς, exorto, ad quem provocat ſubiectum exemplum, niſi quod hic feminino generi, ille maſculino inſervit. Utrobique verò Iota *Incrementum Longum*, quia heic agitur de *Nominibus Dicatalectis* genus tum maſculinum, tum femininum complectentibus, quamvis in duobus adlatis exemplis eadem quantitas etiam ex *Accentu* liqueat.

(3) Α'κτῖνος. De huius *vocis Proſodiâ* confer, quæ mox dicta ſunt ad *vocem* δελφῖνος.

(4) Κνημῖδας *Accuſativus plur.*, cuius *Nominativus sing.* κνημὶς genus poſtulat femininum, & in IˇΣ deſinit *Oxytonum*.

tonum. Quibus fit, ut in *Incremento* produci debeat. Similia *Nomina* similem præferunt, unâ cum suis *Compositis*, *Prosodiam*. Hinc apud *Homerum* pluries claudunt *Hexametrum* verba hæc εὐκνημίδες Ἀχαιοί.

(5) Μέρμιθι à μέρμις *Nominativo*, qui ante finalem Ι῏Σ duas habet Consonantes *Immutabiles* ρ́, & μ́, idcirco in *Incremento* latâ iam lege productus. Hâc *Regulâ*, quam nemo ex recentioribus Prosodiographis hactenus excogitavit, non parum perspicuitati in eo quòd ad cognoscendam huius *Incrementi* quantitatem adtinet, ni fallor, consultum est.

(6) Πλοκαμῖδα *Nominativum* agnoscit πλοκαμὶς, qui à *Brevibus* inchoat duabus, & in Ι῏Σ desinit; quæ duo in caussâ sunt, cur ipsum *Nomen Longo* laboret *Incremento*, videlicet, *Syllabam* μῖ producat. Similis servanda in similibus *Prosodia*.

(7) Τινὰ correptâ *penultimâ*. Hoc in exemplo videas Iota *Incrementum Breve*, quod exhibet *Nomen* τὶς *Monosyllabon*, in Ι῏Σ desinens, sed *Exceptione* laborans, de quâ in *Præcepto* sermo est. Alia enim *Nomina Monosyllaba* in Ι῏Σ finita ex eodem *Præcepto* Iota *Incrementum* producunt, uti probatur exemplo *vocis* ῖνες infra à *Nominativo* Ι῏Σ &c.

(8) Διὸς *Genitivus* cum ἱ *Brevi* à *Nominativo* Δὶς profluens, cuius Iota *Incrementum Breve*. Hæc altera *Exceptio* est à communi *Regulâ* de producendo Iota *Incremento* à *Nominibus Monosyllabis*, quorum *Rectus* desinit in Ι῏Σ, deducto, de quâ hoc ipso in *Præcepto* verba fecimus.

(9) Ι῏νες. Cur exemplum huius *vocis* in medium adtulerim, vide supra ad *vocem* τινά.

(10) Ῥίπεσσι *Dativus plur.* à *Nominativo sing.* ῥὶξ. Iam dictum est, *Nomina* in ῖξ - ῖπος *Longum* Iota *Incrementum* postulare, eo prorsus modo, quo videmus in exemplo *vocis* ῥίπεσσι, cuius *prima*, ubi exstat *Incrementum* Iota, *Longa* est.

(11) Τετ-

(11) Τεττίγεσσι *antepenultimâ Longâ* à *Nominativo* τέττιξ, à quo ortum ducit *Genitivus* τέττιγος *ſecundâ* productâ. Non opus eſt probemus permultis exemplis quod ex unicâ voce τεττίγεσσι tam liquidò conſtat, *Nomina*, ſcilicet, in ῖξ - ῖγος *Longa* eſſe in *Incremento* Iota.

(12) Φοίνικι. *Nomina* quoque in ῖξ - ῖκος deſinentia *Longum* præferunt Iota *Incrementum*, idque colligitur ex *voce* φοίνικι à *Nominativo* φοίνιξ, quæ *mediam* producit. Alia exempla huc adferre non vacat; quod tamen adduxi, inſtar omnium eſſe poterit, ſi Tironum aciem, quoties opus fuerit, non effugiet.



PRÆ-

PRÆCEPTVM XII.um

De Incremento Ypsilon in Quintâ Nominum Declinatione.

Y' Quoque corripiunt, quod crescit, *Nomina Quintæ*.
Tendunt in *Recto* duplici sed prædita fine,
Et *βόμβυξ*, *κόκκυξ*, *κήρυξ*, *γρὺψ* insuper, & *γὺψ*,
Κήϋξ, ac *δοίδυξ*, *κώμυς*, quibus additur *ἶλὺς*,
Et *δαγύς*. *Variata βέβρυξ Crementa* requirit.

INTERPRETATIO.

COrripiunt similiter Incrementum *Ypsilon* Nomina Quintæ Declinationis; *sed ea, quæ in* Recto *dupliciter desinunt, idest, in* ΥΣ, *&* *in* ΥΝ *Ypsilon*, Incrementum *producunt*. Longum *item* Incrementum *exhibent sequentia* Nomina, *nimirum*, *βόμβυξ* – *κος*, *κόκκυξ* – *υγος*, *κήρυξ* – *υκος*, *γρὺψ* – *υπὸς*, *γὺψ* – *υπὸς*, Κήϋξ – *υκος*, *δοίδυξ* – *υκος*, *κώμυς* – *υθος*, *ἶλὺς*, *ύος*, & *δαγὺς* – *ῦδος*; *βέβρυξ tamen modò* Breve, *modò* Longum Incrementum *præfert*.

ADDITAMENTA.

I. Vera consectaria deduci omnino non possunt ex iis, quæ sub Præcepti huius initium habet multoties laudatus *T. Morell*. En tibi eius verba:
" Υ' *Breve* est in Monosyllabis in *υς* – *υος &c.* "
" Et in masculinis & femininis in *υς* & *υρ &c.* "

 Unde

Unde ergo quis colliget, *τὸ πῦρ - ˉυρὸς Breve Incrementum* habere? Non Hercle ex *Præcepto Viri Eruditi*. Itaque necesse erat ipsius verba eò progredi, ut *Monosyllaba*, quæ inflectuntur per υρ - υρος generis neutrius, cuius est πῦρ, etiam comprehenderent. Exinde mirabitur nemo, cur ipsum *Præceptum* ita inchoaverim:

Υ' quoque corripiunt, quod crescit, *Nominæ Quintæ*.

II. Iure merito inter *Exceptiones* à generali *Regulâ* de corripiendo Ypsilon in *Nominum Incrementis ὁ κήρυξ - κος* connumeravimus; quisquis enim hoc *Nomen* unâ cum *Iacobo Gretsero*, *De Υ` Increm. Quin. Declin. Cap. XI. n.* 3; *Brevi* aliquoties *Incremento* gaudere autumat, errat errore non ferendo; Textus autem *Vulgatæ ad Iliad. ρ΄, v.* 324; exhibens: Κήρυκι Ἠπυτίδῃ, qui *Viro Erudito* errandi occasionem præbuit, eo pacto, quo infra in *Observatione* ad *num.* (6) videbimus, dubio procul erit corrigendus.

III. Fortasse recensitis in hoc *Præcepto Nominibus Longum Incrementum* habentibus addendum esset & Gentile Ἰήπυξ, sed nobis profectò non constat, utrùm verior sit Lectio *Dionysii Alexandrini de situ Orbis* ad *v.* 376; Ιʼηπυγίων, an Ιʼηπύγων; certè ex priori, *Breve* Ypsilon *Incrementum* esse colligitur, ex posteriore verò, *Longum*. Crederem utrunque usitatum, adeò ut Tironibus utroque modo legere, & consequenter huius *vocis Incrementum* producere, vel corripere pro arbitrio permissum sit, donec nobis aliquid verius adfulgeat.

IV. Quandoquidem cùm ex *Præcepto*, de quo heic sermo est, tum ex illius *Interpretatione* liquet, *Gentile Nomen βέβρυξ - υκος Brevi* nonnunquam, nonnunquam verò *Longo Incremento* prodire; opportunè monemus Tirones, ut eam in huius *Nominis Incremento Prosodiam* præferre curent in Græcis *Versibus* componendis, quæ apud celebriores, & maioris nominis Græcos Poëtas est usitatior. Ne autem in volvendis singulorum illustrium Poëtarum Græcorum operibus multum, ut hoc

ad-

adſequantur, impendant laboris, quandoquidem hunc libenter iam pro eis in nos ſubſcepimus; certò ſciant, nomen βέβρυξ in *Obliquorum penultimâ* tutius eſſe corripere, quàm producere.

V. Monendi etiam Tirones ſunt, (ne, ſi fortè aliquid idgenus occurrat, eis iniiciat ſcrupulum), *Brevia Incrementa* ad hoc *Præceptum* pertinentia, mutato *Accentu* ex *Acuto* in *Circumflexum*, *Longa* interdum à quibusdam fieri. Sic ὀσφῦος, notante *Schrevelio* in *Lexico verbo* ὀσφὺς, rectè dicitur pro ὀσφύος, producta ut ſit *penultima*, uti ex *Accentu* etiam liquet. Sic alia, quæ hic recenſere longum eſſet. Hanc tamen *Licentiam* magno alicui Scriptori ultro concedimus, pueris verò à Ludimagiſtris ſemper negatam volumus.

EXEMPLA.

(1)

Πρόχνυ καθεζομένη· δεύοντο δὲ δάκρυσι κόλποι. *Hom. Il.* ί, *v.* 566.

(2)

Οἳ Κνωσσόν τ' εἶχον Γόρτυνά τε τειχιόεσσαν. *Hom. Il.* β', *v.* 646.

(3)

Φόρκυνος θυγάτηρ ἁλὸς ἀτρυγέτοιο μέδοντος. *Hom. Odyſſ.* ά, *v.* 72.

(4)

Βομβύκα χαρίεσσα, Σύραν καλέοντι τὺ πάντες. *Theoc. Idyll.* 10, *v.* 26.

(5)

Ἢ αὐτὰς κόκκυγας ἐρινάδος οἵ τε πρὸ ἄλλης. *Nicand. Theriac.* *v.* 854.

(6)

Κήρυκ' Ἠπυτίδῃ, ὅς οἱ παρὰ πατρὶ γέροντι. *Hom. Il.* ρ', *v.* 324.

(7)

Γρυπαιέτας χαλκηλάτας. *Ariſtoph. in R. v.* 960.

(8)

Τῶν ἤτοι αὐτῶν τέρενα χρόα γῦπες ἔδονται. *Hom. Il.* δ', *v.* 237.

(9)

Τιμῶντες Κήϋκα φίλον μακάρεσσι θεοῖσι. *Hes. in Scut. Herc.* *v.* 476.

(10)
Παρέθηκε, καὶ δοίδυκα κιβώτιον. *Aristoph. in Pl. v.* 693;
(11)
Καὶ μαλακῶ χόρτοιο καλὰν κώμυθα δίδωμι. *Theoc. Idyll.* 4, v. 18.
(12)
Κείσεθ' ὑπ' ἰλύος κεκαλυμμένα· κὰδ δέ μιν αὐτόν. *Hom. Il.* φ', v. 318.
(13)
Α'λλ' ἐπάγην δαγῦδι καλὸν χρόα πάντοθεν ἶσα. *Theoc. Idyll.* 2, v. 20.
(14)
Κόχλω φυσαθέντος, ἀεὶ βέβρυκες κομόωντες. *Theoc. Idyll.* 23, v. 77.
(15)
Βέβρυκες δ' ἐπὶ τοῖσι, καὶ ὕρεα μυσίδος αἴης. *Dionysius v.* 799.

OBSERVATIONES.

(1) Δάκρυσι *Dactylus est*. Hoc in exemplo habes Ypsilon *Incrementum Breve* iuxta Generale *Præceptum*,

Υ' quoque corripiunt, quod crescit, *Nomina Quintæ*. *Nomen* autem inflectitur δάκρυ - υος, & est generis neutrius. Permulta numerantur *Nominum Incrementa* ad prædictum *Canonem* exigenda, quæ non solùm à *Nominativis* in ύ, verùm etiam in ύς, ύρ, ύξ, & ύψ desinentibus manant, generi aut masculino, aut feminino addictis, *Monosyllabis*, aut *Polysyllabis*, quorum exempla videas apud *Homerum Il.* ψ, v. 328; - ή, v. 321; & 323; - ά, v. 338; - θ', v. 248; apud *Dionysium de situ Orbis* v. 768; & apud alios Scriptores passim.

(2) Γόρτυνα) Utrunque *Nomen* duplicem recipit in

(3) Φόρκυνος) *Recto* terminationem in ύς, nimirum, & in ύν. Ita se habet eorum inflexio, Γόρτυς - υνος, Φόρκυς - υνος, vel Γόρτυν - υνος, Φόρκυν - υνος, prout legitur in Lexicographis. Porro inter utrunque *Nomen* solius generis discrimen occurrit; nam *prius* generis est feminini, *posterius* verò generis masculini, quod quidem animadversum hic volumus, eò quia Tirones, sciant

ant *nomen* generis neutrius in *Recto* dupliciter desinens in Græcâ Linguâ omnino deficere. In rem nostram, quùm duo hæc Γόρτυς, & Φόρκυς *Nomina* sint *Dicatalecta*, aut in *Recto dupliciter desinentia* in ύς & in ύν, ex hâc ipsâ ratione satis liquet, *Longum Incrementum* habere, & consequenter Ypsilon *vocis* Γόρτυνα, & Φόρκυνος productum, uti est in exemplis iam prolatis.

(4) Βομβύκα. Utique hoc ex contextu *Theocriti* videtur esse *nomen Puellæ*; sed nullùs dubito, quin ortum ducat à *Genitivo*. βόμβυκος, cuius sequitur *Analogiam* producendo Ypsilon. Βομβύκα dictum est pro Βομβύκη, idcirco ibi *Acutus* transiit in *penultimam*. Cæterùm exempla *nominis* βόμβυξ in *Casibus Obliquis* tam rara sunt, ut, neque post multum laboris, ullum invenire mihi concessum fuerit.

(5) Κόκκυγας. Præter *Nicandrum* nullum alium novi Scriptorem, qui usus sit *vocabulo* κόκκυξ in *Casibus Obliquis*; idcirco nullum huius *Incrementi* à Prosodiographis adfertur exemplum. Certè *Hesiodus* ἔργ. καὶ ἡμ. *Lib.* 2. *v.* 104; cecinit:

Ἦμος κόκκυξ κοκκύζει δρυὸς ἐν πετάλοισι·

sed *Nominativo*, ad id quod inquirimus, nobis opus non est. *Nicandri* auctoritas in re nostrâ utranque paginam facit.

(6) Κήρυκ' Ἠπυτίδη ita rectè edidit *Barnesius*. Communiter tamen scribitur Κήρυκι Ἠπυτίδη, quâ in lectione *penultima Brevis* habenda est; sed perperam, semper enim occurrit apud ipsum *Homerum* κήρυκες *penultimâ Longâ*. Nihil ergo verisimilius videtur, quàm quòd à *voce* κήρυκι per *Apostrophum* Vocalis ί cum *Barnesio* abiiciatur. Vide *Clarkium* in *Homerum* ad *Il.* ρ', *v.* 324;

(7) Γυπαιέτυς *Composita vox* à γρυπὸς-ῦ Latinè *unco naso præditus*, & ἀετὸς-ῦ Aquila. Γρὺψ Latinè *gryphum* significat, *avem*, scilicet, *adunco rostro*. Eius

Geni-

Genitivus γρυπὸς, à quo *nomen adiectivum* exoritur γρυπὸς-ῦ, in cuius *primâ Incrementum* exstat Ypsilon à *Nominativo* γρὺψ manans. Itaque quùm *prima vocis* γρυπαιέτης *Longa* sit apud *Aristophanem* loc. excitat., exinde liquidò constat, *Nomen* γρὺψ *Longum Incrementum* præferre; aliàs etiam *prima* in γρυπαιέτης per *Analogiam Brevis* fuisset.

(8) Γῦπες. Non video quomodo meliùs possit probari, *vocem* γὺψ-υπὸς *Longum* habere *Incrementum*, quàm prolato exemplo, cuius *priorem* productam esse patet etiam ex *Accentu* quo ipsa adficitur, *Circumflexo*.

(9) Κήϋκα *mediâ* productâ *Syllabâ*, ubi Ypsilon *Incrementum*. Κήϋξ *Nomen Proprium*; *Ceycem* enim filium *Luciferi*, maritum *Alcyones* Poëtæ fabulantur. Στὺξ *Nomen* itidem *Proprium* Nymphæ ex *Oceano* & *Tethy* exortæ *Longo Incremento* laborat apud *Callimachum* *Hym.* in *Iovem* *v.* 36.

Πρωτίςη γενεῇ, μετά τε Στύγα, Φιλύρην τε·

Nisi adstipulemur *Hoelzlino* in *Apollonium* ita excitat. *Callimachi Versum* emendanti:

Πρωτίςη γενέῃφι μετὰ Στύγα τε Φιλύρην τε.

Quo in casu *Nomen* Στὺξ non discederet à communi *Regulâ*.

Γήπυξ quoque *Nomen Gentile* apud *Dionysium v.* 376; secundùm Editionem castigatissimam *Bernardi Bertrandi* cum Commentariis *Viri doctissimi Eustathii Archiepiscopi Thessalonicensis*, quæ apud me est, *Longum* præfert *Incrementum*. Exinde suborta est dubitatio, an omnia *Incrementa Nominum* in ύξ desinentium, quæ vel *Propria* sunt, vel *Gentilia*, produci debeant; in hoc tamen quia mihi omnino placere non possum, nihil adfirmo, sed potiùs Tirones ad Usum atque Auctoritatem Veterum Poëtarum amando.

(10) Δοίδυκα. *Mediam* hic *Longam* esse, ubi *Incrementum* adstat *vocis* δοίδυξ subitò noverit quicunque à

Comi-

Comicorum Poëtarum lectione prorſus non fuerit imparatus. Sed qui in *Comicâ* Poëſi planè hoſpes erit, ex *Accentu* coniiciet, prædictum *Nomen Longum Incrementum* habere. Etenim non δοίδυξ, prout apud Lexicographos legitur in univerſum, ſed δοῖδυξ ſcribendum ad hoc, ut *ultima Brevis* eſſet; indeque *Breve Incrementum* promanaret. Videas *Præceptum IV. De Accentu*, in *Additam.* ad *num. IV.*

(11) Κώμυθα. Hinc collige, *Longum* pariter *Incrementum*, quod promit *vox* κώμυς; *Accuſativus* enim κώμυθα *mediam* producit.

(12) Ἰλύος *Genitivus* à *Nominativo* ἰλὺς cum *Incremento Longo*. Quocum negari non poteſt, quod in *Præcepto* firmatur.

(13) Δαγῦδι *penultimâ Longâ*. *Dativus* iſte à *Nominativo* profluit δαγὺς, à quo *Genitivus* δαγῦδος &c. Proprium eſſe huius *Nominis* Ypſilon *Incrementum* producere iam præmonuimus.

(14) Βέβρυκες *mediâ* correptâ. Non ſolùm in exemplo excitato, ſed perpetuò, & conſtanter *Theocritus* corripit *Incrementum* Ypſilon *vocis* βέβρυξ. Videas ad *Idyll.* 23, *v.* 29; & *v.* 91.

(15) Βέβρυκες *mediâ* productâ, raro exemplo, adeò ut pueris in imitationem haud facilè commendari debeat.



PRÆ-

PRÆCEPTVM XIII.um

De Alpha Verborum Incremento.

A' Crescens brevia in *Verbis*. Producito *Ternis*
Alpha *σι* præpositum fini ex pluralibus ortum.
Quæ *Casus* & *Tempus* habent simul addere *Longis*
Præcipiunt *primam finali* semper in *ἄσα*.

INTERPRETATIO.

ALpha Incrementum Verborum *corripitur*. *Producitur tamen hoc ipsum* A' Incrementum *in omnibus* Tertiis Personis pluralis Numeri, *in quibus* finem *σι* *præcedit*. Participia *itidem*, (*quæ tum* Nominis, *tum* Verbi *partem referunt*, & *consequenter habent* Casus, & Tempora) *desinentia in ἄσα*, *idest*, *feminina semper in* penultimâ *producuntur*.

ADDITAMENTA.

I. Pro dignoscendâ in *Verbis* Alpha *Incrementi* quantitate, alia mihi subcurrit *Regula*, quæ si bona Præceptori videbitur, & ad cuiusvis captum accommodata, eâ uti in gratiam suorum puerorum poterit. *Regula* hæc est. Quemadmodum in quâvis *Temporum*, istud *Incrementum* plerunque continentium, priore *Personâ* desinente in Alpha, hoc Alpha *Breve* est ex *Præcepto I. huius Sect. II. Cap. II. De Alpha in Fine Vocum*, quod infra trademus, ita in reliquis *Personis* ab illâ primore

for-

formatis Alpha *Breve* per *Analogiam* erit, etiamſi fiat *Syllabarum* adceſſio, ſive *Crementum*, niſi obſtet *Poſitio*; ſic, quia Alpha in ἔτυψα & τέτυφα *Breve* eſt, erit itidem *Breve* & in ἐτύψατον, ἐτυψάτην, ἐτύψαμεν, τετύφαμεν, ἐτύψατε, τετύφατε, ἐτυψάμην, ἐτύψατο, τυψάτω, τυψάμενος &c.

II. Non aliâ de cauſsâ factum, ut in hoc *Præcepto* nullum verbum ſit de *Incremento* Alpha *Longo Secundæ Coniugationis Verborum* in MI in *Subiunctivo Modo*, niſi, quia huius *Incrementi* quantitas ibi etiam ex *Accentu* liquidò conſtat. Revera poteſtne aliquis facere, quin *Longum* cenſeat Alpha *Incrementum* in *vocibus* ἱςᾶτον, ἱςᾶτε, & ſimilibus? Non ergo committi fas erat, ut res omnino ſupervacanea infarciretur in *Regulam*, quæ iam ex receptâ inter Eruditos lege, modò ei non deſint neceſſaria, in arctiorem gyrum ſemper eſt coërcenda.

III. Græcæ *Proſodiæ* imperitiores quicunque in *vocem* λύσατε *mediâ Longâ*, quam Editiones ferè omnes præferunt ad *Homeri Iliad.* ά, *v.* 20; inciderint, dubitare poterunt, habendus ſit necne pro vero ac legitimo, *Canon* ille, quem ſupra vulgavimus de Alpha *Verborum Incremento* corripiendo. Itaque ne forſan id iuris ſibi temerè adſumant Tirones, ut hâc allecti auctoritate ipſum *Canonem* obelo iugulent, eos monere in anteceſſum oportet, mendoſam *Homeri vocem* λύσατε, certò corrigendam eſſe λύσασθε, ut mihi magis arridet, vel λύσαιτε, ut placet *Clarkio*, quem videas ad *loc. Homeri excit*. Nam λύσατε *Secundam* neceſſariò corripit. Neque id ullo modo ſanari poteſt. Quam enim *Poëticam* adpellant *Licentiam*, ea verò in huiuſmodi *Syllabis mediis*, ex quibus *Temporum* pendet, *Caſuumve Analogia* planè eſt nulla. Utique hæc, ſi qua eſſet, periiſſet omnis *Proſodia*.

IV. Duo etiam Editionum errata Exceptioni de producendo Alpha *Verborum Incremento* ante *finem* σὶ in *Tertiis* quibuſque *Perſonis pluralibus* infligerent graviſſima

ſima vulnera, niſi huc caſtigata conveherentur. Primum eſt in *voce* πεφύκασιν *penultimâ Brevi*, quæ legitur ad *Theocriti Idyll.* 23, *v.* 40; alterum in *voce* λελόγχασιν *penultimâ* item *Brevi*, quæ exſtat apud *Homerum Odyſſ.* λ', *v.* 303; *prius* quidem non nemo facillimè emendabit ſcribendo πεφύκεσαν; *poſterius* verò quam - optimè reſtituit *Barneſius*, auferendo ν *paragogico*, quod eſt omnino ſupervacaneum, ut advertit *T. Morell*, in *Nominum Verborumque fine*; deinde expungendo ι per *Apoſtrophum*, quibus peractis habetur λελόγχασ' *ultimâ*, uti par erat, productâ.

V. *Penultima* autem in antedictis *Tertiis Perſonis pluralibus Longa* eſt, quia ſequitur *Analogiam* conſimilium *Perſonarum pluralium* in σί deſinentium, quæ licèt Alpha non promant in *penultimâ*, ipſam tamen *penultimam* ſemper producunt, abſque eo quòd in his venia dari queat. Exemplo ſint *voces* τύπ]ουσι, τύπτωσι, ζευγνῦσι &c.

VI. Immò, ut ipſiſſimis verbis loquar *Eruditiſſimi Viri T. Morell*, *De Verborum Incremento ad not. inter uncinos* (ή), *Regula* Generalis eſt, & pueris ſummopere commendanda, omnem *Perſonam* quorumcunque *Verborum* in σί deſinentem, *penultimam* ſemper producere, non ſolùm in *Tertiâ numeri pluralis*, ut in præcedenti *Additamento* innuebam, *Perſonâ*, verùm etiam extra ipſam. Unico iſtud probamus Exemplo *vocis*, nimirum, ζεύγνυσι, quæ *Tertia Perſona* eſt *numeri ſingularis*, & in *Penultimâ* producta. Porro *Regula* Generalis prædicta *Analogiæ* innixa eſt; quâ enim *Analogiâ* dicitur δίδωσι, τίθησι, ἵησι, eâdem dicitur ζεύγνυσι &c.

EXEMPLA.

(1)
Οἱ δὲ χολωσάμενοι Καδμεῖοι κέντορες ἵππων. *Hom. Il.* δ', *v.* 391.

(2)
Τοῦ σ' ἐκ φασὶ γενέσθαι. ἐπητῇ δ' ἀνδρὶ ἔοικας. *Hom. Odyſſ.* σ', *v.* 127.

Α' σσο-

(3)
Α'στοτέρω καθίσασα παραὶ πυρί. εἵματα γάρ τοι. *Hom. Odyss.* ρ́, *v.* 572.

OBSERVATIONES.

(1) Χολωσάμενοι cum *antepenultimâ Brevi*. Ratio huius correptæ *Syllabæ* inde fluit, quod istud Alpha vocis χολωσάμενοι *Crementum* est. Et hæc *Regula* servanda est semper intacta, nisi obstet *Positio*, ut in ἐχολώσαντο, Ex. Gr., ubi Alpha *Incrementum* naturâ quidem *Breve*, solâ *Positione* producitur.

(2) Φασὶ *penultimam* habet productam, ubi adstat Alpha *Incrementum*. Eâdem planè ratione ἵσασι, ἱςᾶσι, (quâ ex *voce* id magis elucet), & omnes *Personæ numeri pluralis*, vel etiam *singularis*, quomodo firmatum est ad *Additam*. in hoc *Præcept. num. VI.*, quæ exeunt in σί producunt *penultimam*, sive in eâ reperiatur Alpha, sive quævis alia *Vocalis*. Contra quam *Regulam*, si quid factum in legendis Græcis Scriptoribus occurrat, aliquam mendam sub eo latere haud temerè suspicabimur, quæ dubio procul emendatione indigebit. Confer *Addit.* ad hoc *Præcept. num. IV.*

(3) Καθίσασα *Participium* femininum in *singulari Nominativo* desinens in ᾶσα producit *penultimam* iuxta *Præceptum*; quam quidem productam *Syllabam* per *Analogiam* in *Obliquis* etiam *Casibus* adservat; hinc *penultima* in καθισάσης, καθισάσῃ, καθισάσαις &c. semper erit *Longa*. Καθίσασα ortum ducit à *Verbo Barytono* καθίζω; verùm eâdem *Prosodiâ* gaudent *Participia* generis feminini non solùm ex *Barytonis*, sed etiam ex *Verbis Circumflexis*, & in MI derivata, dummodo in *Nominativo singulari* terminationem in ᾶσα præscriptam à *Regulâ* sortiantur.



PRÆCEPTVM XIV.um

De Ypsilon Incremento, & de Quantitate huius Ancipitis in Quartâ Verborum in Mι *Coniugatione.*

Ypsilon exerescens *Quartæ*, quæ desinit in Mι,
Activo *Indefinito* protende *Secundo*.
Est quoque productum, si *vox dissyllaba*, *primo*
In *numero* & *Modus Imperii* sit. Corripe at ipsum
Ypsilon, his demtis, *Personâ* & *Tempore* in omni.

INTERPRETATIO.

Y*Psilon* Incrementum Quartæ Coniugationis Verborum in Mι *in omnibus* Personis Aoristi Secundi Activæ vocis *producitur*. *Producitur etiam ubicunque duo hæc simul contingunt*, *nimirum*, vox dissyllaba, & Modus Imperativus numeri *solummodo* singularis, *ut in* κλῦθι *&c. Verùm*, *his exceptis*, *corripitur Ypsilon in quâvis aliâ* Personâ, *&* Tempore *eiusdem* Quartæ Coniugationis *reperitur*, *nisi corripi vetet* Positio, ut in ζευγνύσθην *&c.*

ADDITAMENTA.

I. De quantitate Ypsilon *Quartæ Coniugationis* in *Præsente*, & *Imperfecto vocis Activæ singularis num.* nullum in hoc *Præcepto* verbum factum est. Ex iis enim, quæ in sequen-

ſequentibus *Additamentis* dicturi ſumus, eâ de agere non huius, ſed alterius loci fuiſſe facilè adparebit. Rem autem aliunde manifeſtam ulteriùs urgere omnino ſupervacaneum eſſe non nemo videt.

II. Itaque *ζεύγνυμι*, & *φῦμι* *Primæ Perſonæ* ſunt *ſingulares Præſentis Indic. Activi*, Ypſilon verò utrobique productum; quod tamen in *φῦμι* magis elucet; eſt enim *vox Properiſpomena*. Præterea, Ypſilon ibidem *Incrementum* non eſſe vel ex eo patet, quod *Incrementum* in *Primâ Verbi Perſonâ* locum non habet. Unde ergo Ypſilon *Longum* in prædictis *Perſonis* inferre quis poterit? Ex Grammaticis, inquam; Grammatici enim ad *Formationem Temporum Verborum* in MI docent in univerſum, *Breves Characteriſticas* mutandas in *Longas* in *Tribus Prioribus Coniugationibus*; in *Quartâ* verò Ypſilon correptum in Ypſilon productum. Porro dubium eſſe nequit, quin eiuſmodi à Grammaticis confictus *Canon* quibuſvis *Proſodiæ* Scriptorum *Regulis* ſit anteferendus.

III. *Ζεύγνυς* & *φῦς* *Secundæ Perſonæ* ſunt *Præſentis ſingul. num. Indic. Activ.* à *Primoribus* illis *ζεύγνυμι* & *φῦμι* derivatæ; quas tamen *Longas* eſſe in *ultimâ Syllabâ*, ſeu *Longum* præferre Ypſilon, quod ibi ſimiliter *Incrementum* non eſt, quiſquis accipiet ex *Præcepto XI.* huius *Sect. II. Cap. II. De* ΤΣ *in fine*, abſque eo quòd ei ad iſtud confugere opus ſit.

IV. *Ζεύγνυσι* & *φῦσι* *Tertiæ Perſonæ Præſentis Indic. Activi* itidem *ſingulares*. Crediderim nulli non manifeſtum, illis *Incrementum* ineſſe Ypſilon, cuius quantitatem, niſi toto cælo aberrare velit, ex iſto *Præcepto* colliget nemo. De eâ namque apertè & copioſè diximus ſupra in *Additamento VI.* ad *Præceptum XIII. De Alpha Verborum Incremento*. Eò igitur Lectorem amandamus.

V. Ad *Imperfectum* quod adtinet *Indic. Activ.*, ita hoc *Tempus* ſe habet in *ſingulari numero* (Perſonarum enim *pluralium* in *Imperfecto Proſodia* ad hoc ipſum *Præceptum* exi-

exigenda est) ἐζεύγνυν, ἐζεύγνυς, ἐζεύγνυ - ἔφυν, ἔφυς, ἔφυ (exemplum etiam *dissyllabi* adfero, ne, in *Verbo dissyllabo*, quo impressæ hactenus, quas mihi consulere licuit, Græcæ Grammaticæ carent, inflectendo, Tirones cæspitent). Sed quis non videat, quantitatem Ypsilon in *Imperfecto singulari Activæ vocis* dignosci posse, immò firmandam esse ex *Præceptis* De ΥΝ, ΥΣ, & Υ in fine? De eâ ergo quantitate hoc in *Præcepto* dictum à nobis fuisset inutiliter.

VI. Multò minùs de quantitate Ypsilon in *Tertiis Personis pluralibus Præsentis Indic. Activ.* ζευγνῦσι, & φῦσι &c. verba facere huc pertinebat, quæ tam clarè refulget ex *Accentu*, quo notatur Ypsilon, *Circumflexo*. Sed est & alius æquè commodus, ac ad prædictam quantitatem dignoscendam idoneus *Canon*, quem videas supra in *Additam. IV*; & *V.* ad *Præceptum XIII. De Alpha Verborum Incremento*.

VII. Tandem ex *Præcepto XI.* huius *Sect. II. Cap. II. De* ΥΣ *in fine*, manifestò liquet quantitas *Participii Præsentis Act.* ζευγνὺς & φὺς in *ultimâ Syllabâ*, quod satis superque fuit, ut de eâ heic inquirere non sustinuerim.

VIII. Ceterùm exceptis iis, quæ in superioribus *Additamentis* recensuimus, & singillatim nominavimus, in reliquas eiusdem *Quartæ Coniugationis Personas*, *Modos*, & *Tempora*, *Personas*, inquam, cùm *Polysyllabicas*, tum *Dissyllabicas*, *Incremento* subiectas, vel non, frustra reclamantibus nonnullis ex recentioribus *Prosodiæ* Scriptoribus, hoc meum *Præceptum* adprimè quadrat, atque Ypsilon, quod eis inest, adeò adcuratam mensuram designat, ut non necesse sit de hâc re nos amplius anxios esse.

E X E M P L A.

(1)

Ἀμφίμεδον, τί παθόντες ἐρεμνὴν γαῖαν ἔδυτε. *Hom. Odyss.* ώ, ν. 106.

Κλῦ-

(2) Κλῦθί μευ ἀργυρότοξ᾽, ὃς χρύσην ἀμφιβέβηκας. Hom. Il. ά, v. 37.

(3) Ἀλλ᾽ ὄρσευ, πόλεμόνδε, καὶ ἄλλως ὄρνυθι λαούς. Hom. Il. τ́, v. 139.

(4) Ζεύγνυσαν· αἶψα δ᾽ ἔπειτα πρὸ ἄστεος ἠγερέθοντο. Hom. Il. ώ, v. 783.

(5) Πήγνυται· ἐγγὺς δή τι κακὸν Πριάμοιο τέκεσσιν. Hom. Il. χ́, v. 453.

OBSERVATIONES.

(1) Ἔδυτε *Aoriſtus Secundus vocis Activæ*, ubi Ypſilon *Incrementum*, rectè quidem, & ad id, quod in *prioribus* duobus *Præcepti Verſiculis* ſanè exigitur, productum eſt. Similis exſtat *Proſodia* etiam in δῦναι *Infinitivi Modi Aoriſto* item *Secundo Activæ vocis*, de quâ tamen non iſtud *Præceptum*, ſed conſulendi ſunt Grammatici, apud quos eiuſmodi lata lex eſt "*Aoriſtus Secundus Infinitivi Modi vocis Activæ* formatur à *Præſente Infinitivi Modi vocis Activæ*, abiectâ reduplicatione, & mutatâ *Brevi Vocali* in *Longam* „. Neque verò alia occurrit ratio, poſito, quòd nullus heic habendus ſit ad *Accentum Circumflexum* reſpectus, cur Ypſilon in *voce* δῦναι produci debeat.

(2) Κλῦθι *Imperativi Modi vox ſingularis numeri diſſyllaba*; idcirco *Longum* Ypſilon præfert; quocum facit iſtoc ipſum *Præceptum*.

(3) Ὄρνυθι è converſò, quia *vox Imperativi Modi triſyllaba* eſt, Ypſilon correptum poſtulat; quod ita factum eſſe non nemo videt in prolato exemplo, ubi, ad *metrum* quod adtinet, ὄρνυθι *Dactylus* eſt.

(4) Ζεύγνυσαν } Utrobique Ypſilon *Breve*. Aliud cer-
(5) Πήγνυται } tè inter utranque *vocem* diſcrimen non intercedit, niſi quod in ζεύγνυσαν propriè Ypſilon *In-*

Incrementum eſt, nequaquam verò in πήγνυται. Hoc tamen nullius, ſi ad *Præcepti* ſenſum animum diligenter adtendimus, momenti eſt. Ibi enim verba *ipſum Ypſilon* tam referri poſſunt ad ſuperiora illa *Ypſilon excreſcens*, quàm ad *Ypſilon* non quidem excreſcens, ſed *Quartæ* ſolummodo *Verborum in* MI *Coniugationi* inſitum, adeò ut uno verbo Ypſilon in prædictâ *Quartâ Coniugatione* ſive ex *Incremento* ortum ducat, ſive non, præter quàm in *Aoriſto Secundo vocis Activæ*, & *Perſonis diſſyllabicis* in *Imperativo ſingulari*, ubique ſit corripiendum.



PRÆ-

PRÆCEPTVM XV.um

De Quantitate Penultimæ in Præsente, & Imperfecto Modi Indicativi.

DEmonstrativi Primis si *Curta* duobus
Temporibus fuerit *penultima Longa*, vel *Anceps*;
Debeat & nullo mutari iure, per omnes
Ipsa *Modos*, *Vocesque* gradum retinebit eundem
Finitis ύνω dabitur *penultima Longis*:
Finitis sed άνω *Rapidis*; secedit ἱκάνω
A' lege, & φθάνω, deductaque *Verba Futuris*,
Quæ *finem* subeunt ήσω. *Communis* habenda
In *Verbis* ύω, atque ίω *penultima* semper.

INTERPRETATIO.

PEnultima Præsentis & Imperfecti *in* Indicativo Modo, *quâcunque prædita quantitate*, *idest*, *vel* Brevis, *vel* Longa, *vel* Anceps *fuerit*, *dummodo in aliam mutari* Syllabam *necessariò non debeat*, *eandem quantitatem servabit per omnes* Modos, & Voces. Longa *erit* penultima Verborum *desinentium in* ύνω, *ut* ἀμύνω, μολύνω &c; *desinentium verò in* άνω, *ut* λαμβάνω, &c. Brevis. *Excipiuntur* ἱκάνω, φθάνω, & *quæ formantur à* Futuris *finitis in* ήσω, *veluti* αὐξάνω, κιχάνω. Communis *tandem erit* penultima *in* Verbis *finitis in* ύω, & *in* ίω.

ADDITAMENTA.

I. Animadverſione digna ſunt huius *Præcepti* verba “ Debeat & nullo mutari iure „ ideſt, quæ ſit *Immutabilis*; *Mutabilis* enim *penultima* eandem quantitatem non ſervat per omnes *Modos*, & *Voces*, ſed ſolùm *Immutabilis*. Exemplo ſit ἦγον, & ἄγοιμι, utrunque *Imperfectum*, alterum tamen *Indicativi Modi*, alterum *Optativi*; ſed quia ά Verbi ἄγω *Vocalis Anceps Mutabilis*, idcirco in altero producitur, in altero corripitur.

II. Quùm *penultimæ Immutabilis* quantitas in *Præſente*, & *Imperfecto* maneat per omnes *Modos*, & *Voces*, exinde proclive erit colligere, *penultimam* quoque *Immutabilem Aoriſti II;di Futuri II;di Futuri I;mi Aoriſti I;mi* & *Præteriti* eandem quantitatem ſervare per omnes *Modos*, & *Voces*, abſque eo quòd ulla in his dari *Licentia* poſſit.

III. In *Præcepto* firmatur quantitas *penultimæ* in *Verbis* deſinentibus in ΰνω, ἄνω & ἴω; in aliis verò aliter deſinentibus non item, ſed, ſi aliunde nobis de horum in *penultimâ* quantitate non conſtet, petenda hæc erit ex *Præcepto XXII. De uſu & Auctoritate*, huius *Sect. II. Cap. I.*

EXEMPLA.

(1)

Πίνω. συγχαίνω πάντα τὰ δημόσια. *Callimach. Ep.* XXX. *v.* 4.

(2)

Μῆτιν ἐφευρίσκω μάλα δ᾽ ὀτρύνουσι τοκῆες. *Hom. Odyſſ.* τ́, *v.* 158.

(3)

Ἀλλ᾽ οὐκ Ἀτρείδῃ Ἀγαμέμνονι ἥνδανε θυμῷ. *Hom. Il.* ά, *v.* 24.

(4)

Ἀλλ᾽ ὅτε δὴ τὸν ἵκανε, φέρων ἀν᾽ ὅμιλον ἀπάντη. *Hom. Il.* ή, *v.* 186.

(5)

Πολλὸν ὑπεκπροθέει, φθάνει δέ τε πᾶσαν ἐπ᾽ αἶαν. *Hom. Il.* ί, *v.* 502.

Ηὔξα-

(6)

Ηὐξανόμην ἀκέων. *Ar. in A. v.* 636.

(7)

Α᾿ρητὴρ ἐτέτυκτο, θεὸς δ᾽ ὣς τίετο δήμῳ. *Hom. Il.* ξ, *v.* 78.

(8)

Ω῞ς ἴδον Η῞φαιστον διὰ δώματα ποιπνύοντα. *Hom. Il.* ά, *v.* 600.

OBSERVATIONES.

(1) Πίνω cum *penultimâ Longâ*, atque insuper *Immutabili*. Πίνω *prima* est *Persona Præsentis Temporis Modi Indic.*. Sed & *Imperfectum Indic.* ἔπινον *penultimam* protrahit; unde consequens, ut *Syllaba* πί in *Præsente*, & *Imperfecto* reliquorum *Modorum*, & in omnibus *Vocibus* semper produci debeat, qualiter eam produxit *Homerus* in πίνουσι, *Odyss.* β', *v*, 57; πινόντων pro πινέτωσαν, *Odyss.* ά, *v.* 340; πινέμεν pro πίνειν, *Odyss.* β', *v.* 305; πίνοντας, *Odyss.* β', *v.* 396; πίνετο pro ἐπίνετο, *Odyss.* ί, *v.* 45; πίνοιεν, *Odyss.* ί, *v.* 208; & alibi.

(2) Ο᾿τρύνουσι productâ *antepenultimâ*, quæ est *penultima Verbi* ὀτρύνω; quod est huic *Præcepto* consentaneum, in quo firmatur, *penultimam* in *Verbis* finitis in ύνω producendam.

(3) Η῞νδανε *Imperfectum Indic. Modi* ab ἁνδάνω cum *penultimâ Brevi*; adeò verum est, *Verba* desinentia in άνω *penultimam* corripere.

(4) Ι῞κανε *Imperfectum* cum *penultimâ Longâ* ab ἱκάνω, cuius *penultima* similiter *Longa* est. Ita *Præceptum*. Legitur tamen alicubi hoc *Verbum* cum *penultimâ Brevi*; sed hæc *Prosodia*, licèt à Scriptoribus *Tragicis* passim adserta sit, in Poëtis *Epicis* ferri non potest. Hinc Critici ex *Versu Batrachomyomachiæ*, qui est 46, ubi *penultima vocis* ἵκανεν correpta est, verisimiliùs existimant, hoc Poëmation *Homeri* non esse, sed merè *Homero* adscriptum. Quibuscum facere videtur etiam

Barnesius, qui ex solâ coniecturâ ibidem scripsit ἵκετο φῶτα, pro ἵκανεν ἄνδρα, & quidem satis laudabiliter.

(5) Φθάνει *primâ Longâ* à φθάνω. Haud igitur mirum, si hoc quoque *Verbum* à communi *Regulâ*, quæ *Brevem penultimam* esse docet in *Verbis* desinentibus in άνω, excipiatur.

(6) Ηὐξανόμην cum *antepenultimâ Longâ*, quæ est *Præsentis* αὐξάνω *penultima*. Αὐξάνω ortum ducit à *Fut.° I.mo* αὐξήσω, quæ sanè caussa est, cur extendit *penultimam*, sicut docet *Præceptum*. Hîc tamen non video, quî possit defendi *Brevis penultima Verbi* οἰδάνω, à *Fut.° itidem I.mo* οἰδήσω promanantis, apud *Homerum Il.* ί, *v.* 550; & *v.* 642; nisi, vel derivetur οἰδάνω ab οἰδαίνω, abiectâ ex *Diphthongo Vocali Posteriore*, ut corripiatur *penultima*, vel in hâc *Prosodiâ* Poëta *Epicus* imitatus sit Scriptores *Atticos Tragicos*, quibus, propter *vulgi* celerrimam, quam exhibere solent, pronuntiandi rationem, eiusmodi *Longas Syllabas* corripiendi *Licentia* conceditur; & sic *Homerus* ad loca excit. corripuerit *penultimam* in οἰδάνω, haud secus ac *Euripides* ad *Alc. v.* 477; corripuit *penultimam* in κιχάνω.

(7) Τίετο cum *antepenultimâ Longâ*, quæ est *Præsentis* τίω *penultima*; eadem tamen *Syllaba Brevis* est in sequenti *Versu*,

Τιμήεις ἔσομαι, ὅτε με βροτοὶ ὔτι τίωσι. *Hom. Odyss.* ν', *v.*129.

Atque exinde coniice, *penultimam* in τίω & similibus esse, ut vocant, *Communem*.

(8) Ποιπνύοντα cum *antepenultimâ Longâ*, quæ est *Præsentis* ποιπνύω *penultima*. Videas nunc eandem *Syllabam* correptam apud *Homerum*,

Ὣς ἔφατ'. οἱ δ' ἄρα πάντες ἐποίπνυον· ἦλθε μὲν ἄρ βοῦς. *Odyss.* γ', *v.* 430.

Hinc luce meridianâ clarius adparet, *penultimam* in ποιπνύω, & similibus esse *Communem*. Et hæc quidem dicta sunt, testantibus Prosodiographis ferè omnibus, quorum

rum ſcriptis noſtrum *Præceptum* innititur. At ego, haud ineptâ, ut opinor, conieċturâ, *penultimam* in *Verbis* deſinentibus in ἴω, & in ύω ferè ſemper *Longam* exiſtimo, *Brevemque* dumtaxat eam facio iis in *Vocibus*, in quibus *Vocalem* antecedit.



PRÆCEPTUM XVI.um

De Vocalium Ancipitum in Aoristi II,di & Futuri II,di Penultimâ, Quantitate.

INdefiniti alterius, pariterque *Futuri*
Anceps Vocalis Brevibus penultima adhæret;
Ni tamen *Augmentum* adveniens, *Positusve* repugnet
At *Positum* removet quandoque *Metathesis*, atque
Deserit *Augmentum*, si vult, in *Carmine* Vates.

INTERPRETATIO.

VOcalis Anceps *in* Aoristi II;di & Futuri II;di penultimâ *semper corripitur, præterquàm in* Verbis, *quæ ipsam vel* Positione, *vel* Augmento Longam *necessariò requirunt. Sed* Positio *aufertur aliquando per* Metathesin; Augmentum *verò potest pro libito in* Carmine *prætermitti.*

ADDITAMENTA.

I. Proprium est *Aoristi II;di*, *penultimam* corripere. Quare quùm hoc *Tempus* formetur ab *Imperfecto*, & *Imperfecti penultima* multoties *Longa* fit, hæc ut corripiatur, quicquid præstari debet, docent in universum Grammatici: idque Tironibus non ignorandum; eapropter Græcæ *Prosodiæ* Scriptori hoc in loco notare satis superque erit, *Vocales Ancipites* in *Aoristi II;di penultimâ Breves* esse, nullamque in his dari *Licentiam* posse.

II. E' qui-

II. E' quibus etiam modò dictis liquet, *penultimam Futuri II;di Brevem* esse; etenim *Futurum II;dum* formatur ab *Aoristo II;do* ablato *Augmento*, & *finali Syllabâ* in eam, quæ huius *Temporis* propria est, conversâ, *penultimâ* interim intactâ permanente.

III. Litterarum *Metathesis* corripiendi gratiâ *Aoristi II;di* & *Futuri II;di penultimam* fieri nequit, nisi *Liquida* præcedat *Mutam*.

EXEMPLA.

(1) Ἐξ αὖ νῦν ἔφυγες θάνατον, κύον· ἦτέ τοι ἄγχι. *Hom. Il.* λ', *v.* 362.

(2) Ἁρπακτὴρ Ἀΐδης οὐκ ἐπὶ χεῖρα βαλεῖ. *Callimach. Epigr.* 2. *v.* 6.

(3) Αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς ἦγε Κεφαλλῆνας μεγαθύμους. *Hom. Il.* β', *v.* 138.

(4) Χεῖρα ἑὴν ὑπερέσχε τεθαρσήκασι δὲ λαοί. *Hom. Il.* ί, *v.* 420.

(5) Ἀλλὰ τὰ μὲν πολίων ἐξεπράθομεν τὰ δέδασται. *Hom. Il.* ά, *v.* 125.

(6) Οὕνεκ' ἄριστος ἔην, πολὺ δὲ πλείστους ἄγε λαούς. *Hom. Il.* β', *v.* 580.

OBSERVATIONES.

(1) Ἔφυγες *Aoristus II;dus Modi Indicativi* à φεύγω ablato ε iuxta *vulgatam* à Grammaticis *Regulam*, ut *penultima Brevis* evadat. Quare ἔφυγες *vox* in exemplum mox adducta incipit à *Brevibus* duabus. Exinde patet, quàm rectè *Barnesius* ἐπέφυγεν *penultimâ Longâ* ex *Homeri Batrach. v.* 42; & ἐπέφυγ', ibidem *v.* 47; ubi similiter *Longum* est ύ, corrigit ἐπέφευγον, & ἐπέφευγ'; utraque enim *vox*, ad *Prosodiam* quod adtinet, nullo pacto in *Homeri Versibus*, seu *Homero* merè adscriptis stare poterat. Perinde dicendum de reliquis duabus *Ancipiti-*

bus

bus ά, & ί, in *penultimis Syllabis Aoristi* II;*di* uti ex subiectis *Versibus* etiam liquet;

Κρῆτες ἐτεκτήναντο. σὺ δ' ὐ θάνες· ἐσσὶ γὰρ αἰεί. *Callim. Hym. in Iov. v.* 9.

Ο῎ς μιν ἴδῃ, μέγας ὗτος. ὃς ὐκ ἴδε, λιτὸς ἐκεῖνος. *Callim. Hym. in Apoll. v.* 10.

(2) Βαλεῖ *Futurum* II;*um* cum *penultimâ Brevi*, ut firmatum est in *Præcepto*. Exempla tamen huius *Temporis* tam rara sunt, ut in *Voce Activâ*, & *Mediâ* vix reperias, præterquàm in quibusdam *Verbis*, iisque *Anomalis*.

(3) Ἦγε *Aoristus* II;*dus*; sed hic *penultima Longa* est, quia prævalet *Augmentum*, quod Grammatici vocant *Temporale*.

(4) Ὑπερέσχε *Aoristus* II;*dus* similiter cum *penultimâ Positione* tantùm *Longâ*.

(5) Ἐξεπράθομεν *Aoristus* II;*dus* per *Litterarum Metathesin*; aliàs ἐξεπάρθομεν ab ἐξέπαρθον; sic enim ex *vulgatis* Grammaticorum legibus formatur *Aoristus* II;*dus Verbi* πέρθω. Nec in *Verbis* solùm, sed etiam in *Nominibus* notabis, antiquis iisque adcuratissimis Græcis Poëtis ob *metrum* haud insolitas *Litterarum* μεταθέσεις, & ἀφαιρέσεις, quarum exempla simul in unâ *voce* Κυρβάντων pro Κορυβάντων videas apud *Callimachum Hym.* in *Iov. v.* 46; legitur etiam κάρτος & κάρτερος, pro κράτος & κράτερος haud semel apud *Homerum*, aliosque Scriptores passim; & βάρδιςαι pro βράδιςαι apud *Theocritum Idyll. XV. v.* 104; ac similia.

(6) Α῎γε *Aoristus* II;*dus* cum *penultimâ Brevi*, quia ibidem non adsumitur *Augmentum*; aliàs *Longa* esset, ut supra ad *num.* inter uncinos clausum (3). Verùm nihil magis obvium apud Poëtas Græcos, quàm *Augmenti* defectio in *Verbis* cùm à *Vocalibus* tum à *Consonantibus* incipientibus; quæ *Licentia* etiam Tironibus, fatentibus omnibus *Prosodiæ* Scriptoribus, concessa erit.

PRÆ-

PRÆCEPTVM XVII.um

De Vocalium Ancipitum in Aoristi I;mi Penultimâ Quantitate.

Anceps Indefiniti penultima Primi
Inferitur *Longis*: *Brevibus* sociata videtur
In *Verbis Quartæ*, quæ flectit *Tertia*, sæpe
In *Verbis Ternæ* ac *Sextæ*, tandemque quibusdam
In *Circumflexis* servantibus Alpha, præibit
Hoc nisi *Vocalis* vel *Rho*; sed *Longa* & in istis
Ut fiat, geminant post ipsam *Sigma* Poëtæ.

INTERPRETATIO.

Vocalis Anceps *in* penultimâ Aoristi I;mi *producitur*; *corripitur tamen in* Verbis Quartæ Coniugationis, *quæ sequuntur* Tertiam; *aliquando etiam corripitur in* Verbis Tertiæ & Sextæ Coniugationis, *& tandem in quibusdam* Verbis Circumflexis *in άω, retinentibus ά* Præsentis *in* Futuro I;mo *indeque etiam in* Aoristo I;mo *dummodo istud ά nec ῥ nec* Vocalis *præcedat*; *quanquàm Poëtæ* penultimam *in istis quoque, addendo σ alterum, producant*.

ADDITAMENTA.

I. Vera non est in universum *Regula*, quæ apud plerosque Græcæ *Prosodiæ* Scriptores occurrit his verbis " Quantitas

titas in *Aoristi I;mi penultimâ* ex *Verborum Formatione* satis constat „; nam etsi in I;â II;dâ & IV;tâ *Coniugatione*, in *Verbis* tamen sequentibus II;dam, huius *Aoristi penultimam* vel solâ *Positione Longam* esse liqueat, & in V;tâ quoque, licèt non adsit *Positio*; nihilominus in *Verbis* IV;tæ quæ III;am sequuntur, in *Verbis* VI;tæ &, quod à nemine observatum hucusque fuit, in *Verbis* III;tiæ quantitas eiusdem *Aoristi* in *penultimâ Syllabâ* ex *Verborum Formatione* non adfulget, sed ab Usu & Auctoritate Vett. Poëtarum, de quibus postea agemus, repetenda est.

II. Mitto *Circumflexa Verba*, quorum quantitatem in *Aoristi I;mi penultimâ*, si II;da ipsorum *Verborum Coniugatio* excipiatur, ex *Formatione* dignosci posse non nego; nam cæcus omnino sit oportet, qui non videt, *penultimam* in ἐκάλησα & in ἐδήλωσα *Longam* esse; atque è converso *penultimam* in ἐτέλεσα, & in ἤρεσα *Brevem*. Atqui hæc omnia abundè tradunt Grammatici, adeò ut non iam de his loquendi *Prosodiæ* Scriptoribus nunc sit ampliùs locus.

III. Præfixa semel quantitas in *Aoristi I;mi penultimâ*, eadem manebit per omnes *Modos* & *Voces*, præterquàm in *Aoristo I;mo Passivo*; desumitur enim huius *Aoristi Formatio* à *Tertiâ Personâ singulari Perfecti Passivi*. Quùm ergo *Perfecti Passivi penultima* plerunque *Longa* sit, itidem *Longa* plerunque sit oportet etiam *penultima Aoristi I;mi Passivi*, licèt in *Activo Brevis*.

IV. Ad geminationem *Litteræ Characteristicæ* σ quod adtinet, quam Poëtico more usurpari solitam, ubi *Brevis* alioquin *Aoristi I;mi penultima Longa* fit, animadvertimus, iure merito dubitari potest, utrúmne Græci Antiquiores istam geminationem adhibuerint, vel ea sensim in exemplaria Editorum oscitatione aut merâ inscitiâ potiùs inrepserit; nam quùm σ *suæ potestatis Litteram* dixerunt, hoc sibi voluisse crederem, hanc *Litteram* istiusmo-

mo-

modi esse, ut permultis in locis, ac præcipuè in *Verborum Aoristis* simplex, duplexve ex æquo pronuntiari possit. Hoc si admittatur, non video prorsus, cur turbare quenquam debeat arcana quædam ac minùs cognita *Prosodia* in nonnullis *Aoristis* *I.mis* qui *Brevem* iam *penultimam* protrahunt, & σ geminum non adsumunt.

EXEMPLA.

(1) Τρῶας δ' ἔκλιναν Δαναοί. ἕλε δ' ἄνδρα ἕκαςος. *Hom. Il.* ἔ, *v.* 37.

(2) Στῆ δὲ μάλ' ἐγγὺς ἰὼν, κ̓ ἀκόντισε δουρὶ φαεινῷ. *Hom. Il.* δ', *v.* 496.

(3) Νηῦς ἀνύσειε θέουσα θαλάσσης ἁλμυρὸν ὕδωρ. *Hom. Odyss.* ἑ, *v.* 294.

(4) Καὶ τόδ' ἐπ' ἰκριόφιν τάνυσεν νεὸς ἀμφιελίσσης. *Hom. Odyss.* ἑ, *v.* 283.

(5) Ἧκε δὲ δινήσας· γέλασαν δ' ἐπὶ πάντες Ἀχαιοί. *Hom. Il.* ψ', *v.* 840.

(6) Μήτι διατρίβειν τὸν ἐμὸν χόλον, ἀλλά μ' ἐᾶσαι. *Hom. Il.* δ', *v.* 42.

(7) Ἄνδρες δυσμενέες νηυσὶν λάβον ἠδ' ἐπέρασαν. *Odyss.* ἑ, *v.* 386.

(8) Τὸν δ' ἐξ ἀγχιμόλοιο ἰδὼν ἐφράσσατο κῆρυξ. *Hom. Il.* ώ, *v.* 352.

OBSERVATIONES.

(1) Ἔκλιναν *Aoristus I.mus Verbi* κλίνω cum *penultimâ Longâ*. Perinde se habet eadem *Syllaba Aoristi I.mi* in *voce* cùm *Activâ*, tum *Mediâ*, licèt, quæ erat *penultima* in *voce Activâ*, evadat in *Mediâ antepenultima*; atque id ex *Regulâ* generali tum in *Quintâ*, tum in aliis *Coniugationibus*, quomodo ostendunt exempla, quæ sequuntur,

Οὐδ' ἀπέλυσε θύγατρα, κ̓ οὐκ ἀπεδέξατ' ἄποινα. *Hom. Il.* ἁ, *v.* 95;

Χωόμενος ὅτ' ἄριςον Ἀχαιῶν οὐδὲν ἔτισας. *Hom. Il.* ἁ, *v.* 244.

(2) Α'κόντισε Poëticè relicto *Augmento* pro ἠκόντισε, & correptâ *penultimâ*, quia *Aoristus* I;*mus* ab ἀκοντίζω, quod *Verbum* ad IV;am pertinet *Barytonorum Coniug*; & sequitur III;am adsumendo *Characteristicum* σ' in *Futuro* I;*mo* indeque etiam in *Aoristo* I.*mo* Perinde se habebunt non quidem innumera, uti observarunt Recentiores quidam *Prosodiæ* Scriptores, sed, quod mihi verisimilius est, omnia *Verba* in ἄζω, & in ίζω, quorum *Futurum* I;*um* desinit in σώ. Profectò illis non *omnia* sed *innumera* dicendi ansam dedere nonnulla *Verba*, quæ duplicem habent formandi rationem, & pro *Characteristicâ* accipiunt σ' in *Fut.* I;*mo* ut πειράζω & πειράω; ἀνιάζω & ἀνιάω, in quibus *penultima Aoristi* I;*mi* modò *Brevis* est, modò *Longa*. Verùm Oedipo quisnam opus hic esse dixerit? Iam liquet, *Brevem penultimam* esse à *Verbis* πειράζω, & ἀνιάζω, ut stemus exemplis mox adductis, *Longam* autem à *Verbis* πειράω, & ἀνιάω, derivari.

(3) Α'νύσεις *Aoristus* I;*mus Æolicus* cum *antepenultimâ Brevi*, quæ fuit *Aoristi* I;*mi penultima Indic. Mod.* ἄνυσα, ab ἀνύτω. Plura huc exempla non conveho, quùm hoc satis sit, ut inde Tirones addiscant in *Verbis* etiam III;tiæ *Coniug.* aliquando *Brevem* esse *Aoristi* I;*mi penultimam*, etiamsi aliorum Prosodiographorum id effugerit diligentiam.

(4) Τάνυσεν *Aoristus* I;*mus* ubi pariter *penultima Brevis* est, à *Verbo* τανύω VI;tæ *Coniug.* exortus. Sic ἔρυσαν *Hom. Il.* ά, *v.* 459; ἐξέπτυσεν *Hom. Odyss.* έ, *v.* 322; & ἔπτυσα *Theoc. Idyll. VI. v.* 39; aliaque multa corripiunt *penultimam*, quamvis eandem producant ἔλυσαν ex *Hom. Odyss.* έ, *v.* 286; ἵδρυσα ex *Callimach. Hym. in Dian. v.* 238; &c.

(5) Γέλασαν *Aoristus* I;*mus* cum *penultimâ Brevi*, quia oritur à *Verbo* γελάω, & retinet ά in *Aoristo*, quæ duo in caussâ sunt, cur ante dicta *penultima* corripi omnino debeat. Porro hæc *Prosodia* ad reliquorum *Verborum Circumflexorum*, quæ in *Aoristo* I;*mo* adservant

Præ-

Præsentis Characteristicam ἐ, & ὁ exacta est *Analogiam*; adeò ut quemadmodum effertur ἐτέλεσα, & ἤροσα correptâ *penultimâ*, ita efferatur ἐγέλασα, ἔσπασα cum *penultimâ* similiter correptâ.

(6) Ἐᾶσαι cum ᾱ *Longo*, quia ipsum præcedit *Vocalis* ἐ, non solùm in *Aoristo I;mo Infinitivi Modi*, qualis est ἐᾶσαι, sed etiam in *Præsente* ἐάω. Hic videas, quàm malè mulctarint *Homeri Textum* ad *vocem* ἐᾶσαι *Viri* ceteroqui *doctissimi*, qui ἐάσσαι scripserunt, factâ *Litteræ* σ' geminatione, cuius sanè in hâc *voce* non erat opus. Eos, ut opinor, in errorem adduxit *Homeri Versus*, qui est *Odyss.* φ', *v.* 233;

Οὐκ ἐάσουσιν ἐμοὶ δόμεναι βιὸν ἠδὲ φαρέτρην,

ubi putarunt *Syllabas* = Οὐκ ἐά = *Dactylum* efficere. At non adverterunt *Viri Eruditi*, *Syllabas* ἐα, hic in unam coalescere, ac pronuntiandum esse Οὐκ ἄσουσιν ἐμοί &c. eodem prorsus modo, quo in sequenti *Versu* τὸ ἐᾷ pronuntiari debet ᾇ:

Ἀντίον εἶμ' αὐτῶν τρεῖν μ' οὐκ ἐᾷ Παλλὰς Ἀθήνη. *Hom. Il.* ἐ, *v.* 256.

Confer ea, quæ de *Vocalibus Coalescentibus* dixi supra ad *Præceptum V. De Contractione*, inter *Observationes* ad *num.* uncinis clausum (4).

(7) Ἐπέρασαν *Aoristus I;mus* cum *penultimâ Longâ*. Exinde consequens est, ut non solùm *Longa* sit *penultima Aoristi I;mi* quùm *Vocalis* præcedit ά, verùm etiam quùm ipsum ά præcedit ῥ. Immò nec ῥ nec *Vocali* præcedente ά, *Aoristi I;mi penultima* aliquando producitur in *Verbis Circumflexis II;dæ Coniug.* retinentibus ibidem ά *Præsentis Characteristicum*. Quod firmant egregiè duo, quæ hic subiicio, *Callimachi* testimonia:

Τῷ σφε καὶ ἰχθυβολῆες ἁλίπλοοι ἐννάσαντο. *Hym. in Del. v.* 15.

Ἱδρῶ καὶ ῥαθάμιγγας· ἐφοίβασεν δὲ παγέντα. *Hym. in Lav. Pall. v.* 11.

Et

Et hæc quidem ratio fuit cur in *Præcepto* non dixi = in omnibus = , sed,

. . . . quibusdam
In *Circumflexis* servantibus Alpha, præibit
Hoc nisi *Vocalis* vel *Rho*.

Similem etiam observo *Prosodiam* apud *Homerum*, cuius hic *Versus* est *Odyss.* κ́, 439;

Σπασσάμενος τανύηκες ἄορ παχέος παρὰ μηροῦ.

Unde non parum, quod modò dictum est, inlustratur; & sic omissâ etiam *Litteræ Characteristicæ* σ′ geminatione, dummodo tamen ἐννάσαντο, ἐφοίβασεν, σπασάμενος, & similia ad fidem *Add.* IV; in hoc *Præceptum XVII*; pronuncientur æquè, ac si scripta fuissent ἐννάσσαντο, ἐφοίβασσεν, σπασσάμενος &c. licitum erit Poëtis Græcis *Aoristi* I;mi *penultimam* producere in *Verbis Circumflexis* II;dæ *Coniug*; quæ ά *Præsentis* retinent in *Aoristo*.

(8) Ἐφράσσατο. Videas in hâc *voce antepenultimam*, quæ fuit *penultima Aoristi* I;mi ἔφρασα, propter *Litteræ Characteristicæ* σ′ geminationem, productam. Ita rectè; & quia iam invaluit usus, sic pueris ac Tironibus accipienda semper erunt, & utenda *Verba* IV;tæ *Coniug.* pro *Characteristicâ* in *Futuro* I;mo & similiter in *Aoristo* I;mo σ′ adsumentia, in quibus *Aoristi* I;mi *penultima* erit producenda; nisi secùs videbitur Præceptoribus.



PRÆ-

PRÆCEPTVM XVIII.um

De Vocalium Ancipitum in Futuri I;mi Penultimâ Quantitate.

Gaudet proferri menſurâ ſemper eâdem,
Quâ *Primi Indefiniti penultima*, præter
In *Quintâ*, *Primi penultima* quæque *Futuri*.

INTERPRETATIO.

EXceptis *dumtaxat* Verbis *ad* Quintam Barytonorum Coniugationem *pertinentibus*, *in quibusvis aliis* penultima Futuri I;mi *eandem quantitatem habebit*, *quam* penultima Aoriſti I.mi

ADDITAMENTA.

I. Uno verbo *Præcepti* ſenſus eſt " Quanta eſt *penultima Aoriſti I;mi* tanta erit in *Futuro I;mo* „ Addo „ & viciſſim, & exceptâ *penultimâ* in *Verbis* V;tæ *Barytonorum Coniugationis*.

II. Itaque, ne in errores paſſim labamur, ante omnia, nobis decedendum non eſt ab iis, quæ in ſuperiore *Præcepto* firmavimus; exinde enim pendet, quæ hic unicè inquiritur, *penultimæ Syllabæ* in *Futuro I;mo* vera & genuina *Dimenſio*.

III. In iis tamen, quæ nonniſi Uſu & Auctoritate, quantùm ad utrunque *Præceptum* adtinet, diſci queunt, hoc

iſtud

iſtud multoties ibit auxiliatum ei, quod ſuperiùs traditum eſt, *Præcepto*, ut ſi, Ex. Gr., neceſſitas urgeat utendi *Aoriſto I;mo* ἔλυσα, & producendi eiuſdem *penultimam*, nec aliud exemplum præſto ſit, quam *Futuri I;mi* λύσω, ubi producatur *penultima*; nimirum,

Τὴν δ' ἐγὼ ὐ λύσω, πρίν μιν ϗ γῆρας ἔπεισιν. *Hom. Il.* ά, *v.* 29.

IV. Sed aliter efferri debet *Aoriſti I;mi* & *Futuri I;mi penultima* in *Verbis Quintæ Barytonorum Coniugationis*; hæc enim in *Aoriſto I;mo* ſemper *Longa*, in *Futuro I;mo* ſemper *Brevis*, quæ perinde erit etiam in *Temporibus* cognatis unius & alterius *Vocis*. Digni ſunt Grammatici, qui hanc in rem audiantur, ubi *de Formatione Aoriſti I;mi* & *Futuri I;mi* loquuntur; potiùs quàm *Proſodiæ* Scriptores, exempla, quæ ad confirmandam rem hanc tam manifeſtam faciunt, adferentes.

V. Tandem, Poëtæ nonnunquam idem agunt cum *Futuri I;mi penultimâ*, quod cum *Aoriſti I;mi penultimâ* eos agere ſupra obſervavimus, ideſt, *Brevem Futuri I;mi penultimam* protrahunt per *Characteriſticæ* σ' geminationem; quod & Tirones imitari non prohibemus, ſubiecto *Homeri* exemplo, videlicet,

Ἥρη· ἐμοὶ δὲ κε ταῦτα μελήσεται ὄφρα τελέσσω.

EXEMPLA.

(1)

Τριπλῆ τετραπλῆ τ' ἀποτίσομεν, αἴκέ ποθι Ζεὺς. *Hom. Il.* ά, *v.* 128.

(2)

Φύσει, ἐπειδὴ πρῶτα τομὴν ἐν ὄρεσσι λέλοιπεν. *Hom. Il.* ά, *v.* 235.

(3)

Εἴσω δ' ὄ μιν θυμὸς ἐφορμηθῆναι ἐάσει. *Hom. Il.* σ', *v.* 282.

OBSERVATIONES.

(1) Ἀποτίσομεν *Futurum I;um* cum *antepenultimâ Longâ*, quæ fuit *penultima prioris perſonæ ſingularis* eiuſdem Tem-

Temporis. Perinde in τίσει ad *Iliad.* ί, *v.* 284; & in τίσειν ad *Odyss.* θ', *v.* 348; *penultima Longa*. Ratio huius hæc est, quia in *Aoristo* I;*mo* *Verbi* τίω *penultima* quoque producitur. Videas huius productæ *penultimæ* exempla apud *Homerum Il.* ά, *v.* 244; – β', *v.* 743; – ί, *v.* 110; *Odyss.* ώ, *v.* 351; & alibi. Et vice versâ, si *Aoristi* I;*mi* *penultima Brevis* sit, ut in γέλασαν apud *Hom. Il.* ψ', *v.* 840; *Brevis* quoque erit *Futuri* I;*mi* *penultima*, ut in γελάσω sequentis *Versûs*, qui est 6, ex Epigr. XXI; *Novi Græcor. Epigram. Delectûs edit. Etonæ an.* 1767;

Πῶς ἅμα σοι κλαύσω, πῶς ἅμα σοι γελάσω.

(2) Φύσει *Futurum* itidem I;*um* cum *penultimâ Longâ*, quia *Aoristi* I;*mi* *penultima* pariter *Longa* est;

Γεινομένῃσιν ἔφυσαν ἐπὶ χθονὶ βωτιανείρῃ. *Hom. Hym. in Vener. v.* 266.

(3) Ε'άσει *Futurum* I;*um* cum *penultimâ* similiter *Longâ*. Sed & *Aoristus* I;*us* eiusdem *Verbi* ἐάω *Longam* præfert *penultimam*;

Α' δ' ἄλλως μὲν ἔασεν, (ἀναγκαίῃ γὰρ ἕποντο. *Callimach. Hym. in Cerer. v.* 62.



PRÆCEPTUM XIX.^{um}

De Vocalium Ancipitum in Præteriti Activi, & Passivi Penultimâ Quantitate.

In*definito Primo*, *Primoque Futuro*
Si simul, aut saltem *Primo* sit *Longa Futuro*
Aut *Brevis*, hanc *Anceps* servat *penultima* legem
Præterito Activo, *Passivo*, ac inde profectis
Temporibus, fermè *Vocesque Modosque* per omnes.
Præteritis tamen à λύσω θύσωque creatis
Cum λῦ, θῦ *Longo*, rapitur *penultima* semper.

INTERPRETATIO.

Si penultima Anceps *in* Aoristo I.^{mo} & Futuro I.^{mo} *simul*, *aut saltem in* Futuro I.^{mo} Brevis *sit*, Brevis *quoque erit in* Perfecto Activo, & Passivo, & Temporibus Cognatis *per omnes plerunque* Modos, & Voces; *si* Longa, Longa. *Ab hâc unicè discedunt Regulâ* Præterita λέλυκα, τέθυκα, λέλυμαι, τέθυμαι, *quæ corripiunt* penultimam, *quamvis à* Futuris I.^{mis} λύσω, & θύσω priorem *Syllabam producentibus*, *deducta sint*.

ADDITAMENTA.

I. *Tempora* Cognata *Perfecti Activi*, & *Passivi* sunt *Plusquàm Perfectum Activum*, *Plusquàm Perfectum Passi-*

ſivum, *Paullò poſt Futurum Paſſ.*, *Aoriſtus I;us* & *Futurum I;um Paſſivum*.

II. Accidit tamen non infrequenter propter *Temporum Inflexionem*, & *Formationem*, ut quæ erat *penultima*, evadat *antepenultima*; ſed iſta ſedis mutatio *Syllabæ* quantitatem intactam nobis relinquit, niſi eidem *Syllabæ* fortè aliquid contingat, cuius cauſsâ, ex. gr. ſi *Brevis* ſit, produci debeat.

III. Opportunè etiam hoc in loco notandum eſt, *Longam penultimam* tum *Perfecti Paſſivi*, tum *Temporum* Cognatorum, ad leges huius *Præcepti* exactam, *Longam* permanere per omnes *Modos* & *Voces*; *Brevem* verò non item, ſed produci in quibuſdam *Vocibus* aliquando debere, ideſt, quoties *Temporum*, quas vocant, *Inflexio* & *Formatio* poſtulabit.

IV. Itaque hiſce de cauſſis *Brevis penultima Aoriſti I;mi Activi* ἔφρασα, & *Futuri I;mi* φράσω erit producta *Poſitione* in *Perfecto Paſſivo* πέφρασμαι. Similiter *Brevis penultima Futuri I;mi Activi* θυνῶ erit producta *Diphthongo* in *Perfecto Optativi Paſſivo* τεθυίμην. Tandem *Brevis penultima* in *Futuro I;mo Activo* κρινῶ erit producta *Analogiâ* (alia enim *Optativi Tempora* producunt *penultimam*) in *Perfecto Optativi Paſſivo* κεκρίμην, ῖο, ῖτο &c. Hæc tamen omnia apud Grammaticos obvia ſunt, nec niſi ab eorum *Præceptis* & *Verborum Coniugationibus* penitus imparatos fugiunt.

EXEMPLA.

Τοίη οἱ κεφαλὴ διακέκριται (1)· οὐδέ τις ἄλλῳ. *Arat. in Phæn. v.* 169.

Ἡ δεινὰ (2) νὼ δέδρακεν ὐκ τῶν ὀρνέων. *Ariſtoph. Avib. v.* 13.

Καὶ τότ' Ὀδυσσῆος λύτο (3) γύνατα κ̣ φίλον ἦτορ. *Hom. Odyſſ.* ἐ, *v.* 297.

Ἕσπεσθαι (4) θυσίαι ἱεροπρεπέες τελέθυσι. *Orph.*

(1) Διακέκριται 3.tia *persona sing. Perfecti Passivi* κέκριμαι cum *penultimâ Brevi*. Oritur à *Verbo* κρίνω, cuius *Futurum I.um* κρινῶ *penultimam* corripit. Exinde colligitur *Brevis Perfecti Activi* κέκρικα, & *Passivi* κέκριμαι *penultima*, non quidem ex *Aoristo I.mo Activo* ἔκρινα, qui *penultimam* ipsam producit. Ceterùm *Syllaba* κρι *Brevis*, intacta servabitur in ἐκεκρίκειν, κέκρικε, κεκρίκοιμι, κεκρίκω, κεκρικέναι, κεκρικὼς, ἐκρίθην, κριθήσομαι, κεκρίσομαι, κέκρισο, κεκρισοίμην, κριθείην, κριθησοίμην &c., quomodo & *Praecepto* consentaneum est. Exempla singularum *vocum* ex Graecis Poëtis depromta huc minimè conveho, ne in immensum istud Opus excrescat.

(2) Δέδρακεν *Perfectum Activum* cum *penultimâ Longâ*. Δέδρακα oritur à δράω. Porro *Verba* in άω *purum*, vel in ῥάω *purum*, *impurumve* desinentia *penultimam* in *Aoristo I.mo* simul, & *Futuro I.mo* semper producere vidimus paullò ante ad *Praeceptum XVII. De Vocalium Ancipitum in Aoristi I.mi penultimâ Quantitate*; & ad *Praeceptum XVIII. De Vocalium Ancipitum in Futuri I.mi penultimâ Quantitate*. Quo fit, ut *penultima Perfecti* δέδρακε *Longa* sit. Consequenter eadem *Longa Syllaba* manebit in *Perfecto Passivo*, & *Temporibus* Cognatis eodem pacto, quo *Brevem Syllabam* κρι manere in superiori *Observatione* demonstravimus.

(3) Λύτο pro ἐλέλυτο 3.tia *persona Plusq. Perfecti Passivi* cum *penultimâ Brevi*. Λέλυμαι *Perfectum Passivum* similiter correptâ *penultimâ*. Hinc *Homerus*

Σὴ δὲ βίη λέλυται, χαλεπὸν δέ σε γῆρας ὀπάζει. *Il.* θ', *v.* 103.

Et tamen *Futuri I.mi* & *Aoristi I.mi penultima Longa*. Idem *Homerus*,

Ηδ' ἔτι ᾗ λύσει· τῦ γὰρ κράτος ἐςὶ μέγιςον. *Il.* ί, *v.* 25;

Καὶ

Καὶ τότε δὴ κρήδεμνον ἀπὸ ἕο λῦσε θεοῖο. *Odyss.* ε, v. 459.

Quare hoc ipsum in *Præcepto* adverti merebatur.

(4) Θυσίαι *primâ Brevi* firmiter probat, *penultimam Perfecti Passivi* τέθυσαι in 2.dâ *personâ singulari*, à quâ derivatur, *Brevem* esse. Nihilominus τέθυκα & τέθυμαι *Aoristum I;um* & *Futurum I;um*, unde fluunt, habent cum *penultimâ Longâ*, *Homero* teste, & *Theocrito*,

Ἦ ῥα καὶ ἄργματα θῦσε θεοῖς αἰειγενέτῃσι. *Odyss.* ξ, v. 446;

Νῦν θύσω τὰ πίτυρα. τὺ δ' Ἄρτεμι καὶ τὸν ἐν ᾅδᾳ. *Idyll. II*, v. 33.



AD-

ADPENDIX

AD PRÆCEPTVM XIX.um

De Vocalium Ancipitum in Præteriti Activi, & Passivi Penultimâ Quantitate.

PRæteriti *Rapidum* promit *penultima Tempus*,
Si *Positu* solùm *penultima Longa Futuri* est
Primi, vel *Cappa* abiicitur, *Vocalis* & una
Diphthongum sortita priùs. Geminatio gaudet,
Præterito, aut quovis alio fit *Tempore*, *Curtis*.

INTERPRETATIO.

ANceps penultima Præteriti *cùm* Activi, *tum* Passivi Brevis *erit*, *si eadem* Positione *tantùm* Longa *fuerit in* penultimâ Futuri I.mi *Item* Brevis *erit*, *si ex* Præterito Consonans Cappa Characteristicum, *vel simul etiam alterutra ex* Vocalibus Diphthongum *efficientibus abigatur*. *Tandem quælibet in* Verbis, *ut aiunt*, *Repetitio*, *sive hæc in* Præteritis, *sive in aliis quibusvis* Temporibus *locum habeat*, *semper breviabitur*.

ADDITAMENTA.

I. A' sedulis ac industriis *Rei* Græcorum *Metricæ* indagatoribus occasione arreptâ ex his huius *Præcepti* verbis: Si

Si *Positu* solùm *penultima Longa Futuri* est *Primi* &c.

quæri poterit, quænam in *Futuri I;mi penultimâ* distinguendæ *Vocalis Naturâ* simul & *Positione Longæ*, ab eâ, quæ solâ *Positione Longa* est, ratio queat arcessiri? Quibus continuò responsum dabimus, utriusque *Vocalis* quantitatem dignoscendam esse ex Usu & Lectione Poëtarum Græcorum. Hi enim vernaculæ linguæ sono adsueti nihil non consentaneum rectæ pronuntiationi usurpasse, suisque scriptis indidisse putandi sunt. Revera quî fieri potest, ut ab eis, Ex. Gr., *Brevis Syllaba* iuxta ac *Longa*, quæ duarum *Brevium* in pronuntiando *Tempus* explet, efferatur? Ergo legendi illi studiosè sunt, ut, quod inde nobis necessarium est, sartum & tectum, ut aiunt, ab omni mendâ hauriamus. Non erit extra rem vel uno exemplo monitum, quod in medium adtuli, confirmare. Sit igitur obvium *Verbum* *κύπτω*, cuius *Futurum I;um Activ.* *κύψω*. Scire cordi est, an *Syllaba* *κὺ* huius *Futuri Positione* tantùm, an verò *Naturâ* simul & *Positione Longa* sit. Interea venit in mentem huius *Homerici Versûs*, qui est *Odyss.* β', 16;

Ὃς δὴ γήραϊ κυφὸς ἔην, καὶ μυρία ᾔδη.

Ubi derivatum à *κύπτω nomen κυφὸς Syllabam κὺ* ante *Consonantem* producit. Non opus est pluribus; certè enim liquet, ante dictam *Syllabam κὺ Futuri I;mi κύψω Naturâ* simul & *Positione Longam*; ac proinde etiam in *Præteriti Perfecti penultimâ* producendam. Nihil iam, quod ex similibus coniecturis similia colligantur, vetat.

II. Ablatio à *Præteritis Consonantis Characteristicæ κ'*, Græcis Poëtis valde usitata, facit, ut *mediâ* ex *parte* elidatur *Vocalis Anceps* ante *κ'*, aliàs *Longa*, propter subsequentem *Vocalem*, ac proinde corripiatur. Porro hæc verior est huius *Ancipitis Vocalis* corripiendæ ratio.

III. Multoties accidit, ut in *Præteritorum penultimis* adsit

sit *Diphthongus*. Itaque *Præcepti* sensus est ad hæc verba . . . . abiicitur *Vocalis* & una *Diphthongum* sortita prius . . . .
ut, si una, post extritum *κ'*, ex *Diphthongo Vocalis* auferatur, remanente alterâ, quæ *Anceps* sit, hæc *Anceps* corripiatur. Eiusmodi tamen ablatio rarò contingit, nec fortasse alibi, præterquàm in *Præteritis Atticorum* propriis, & *Præteritis Mediis*.

IV. *Repetitiones*, quas vocant Grammatici, frequentiores occurrunt in *Præsentibus*, *Aoristis* II.*is* & *Præteritis* præsertim *Atticis*.

V. In prædictis *Repetitionibus* non resumitur *Aspirata*, sed *Tenuis* loco *Aspiratæ* propter *Euphoniam*; Græcis enim nihil antiquius, quàm sonus *vocum* iucundior, suaviorque verborum pronuntiatio. Verùm hâc de re copiosè admodum agunt Grammatici.

EXEMPLA.

(1)
Κεκρύφαται βυλῆσι Διὸς νεφεληγερέταο. *Hesiod. in Theog. v.* 729.

(2)
Κρανίῳ ἐμπεφύασι, μάλιςα δὲ καίριόν ἐςιν. *Hom. Il.* θ', *v.* 84.

(3)
Αἰεὶ δειδιότων ὅτ' ἐπικρατέωσιν ἄνακτες. *Hom. Odyss.* ξ', *v.* 60.

(4)
Α'λλ' αὔτως ἀλάλημαι ἀν' εὐρυπυλὲς ἄϊδος δῶ. *Hom. Il.* ψ', *v.* 74.

(5)
Αὐτȣ̃ κ' ἔνθ' ἀκάχοιτο καθήμενος οἷος ἐν Ι"δῃ. *Hom. Il.* θ', *v.* 207.

OBSERVATIONES.

(1) Κεκρύφαται cum *antepenultimâ Brevi Ionico* more pro κεκρυμμένοι εἰσί. Ex *tertiâ* enim *singulari* κέκρυπται formant *Iones tertiam pluralem*, sumendo ante ταὶ *Vocalem ά*, & præcedentem *Tenuem* mutando in *Aspi-*

Aspiratam. Exinde conficitur κεκρύφαται, cuius *vocis Syllaba* κρὺ non quidem sequitur *Analogiam vocis* κέκρυπται, ut liquidò constat, sed *vocis* κέκρυφα, cuius *penultima Brevis* est, utpote quæ à *Futuro Imo Activo* κρύψω, *penultimam* solâ *Positione Longam* habente, derivatur. *Nomina* etiam κεκρύφαλος, & κρύφιος, quæ, quin à *Præterito* κέκρυφα ortum ducant, iure nemo in dubium vocat, firmabunt huius *Præteriti Brevem* esse, ut mox dicebatur, *penultimam*. En luculenta cùm *Homeri*, tum *Musæi* testimonia:

Α῎μπυκα, κεκρύφαλόν τ', ἠδὲ πλεκτὴν ἀναδέσμην. *Il.* χ, *v.* 469;

Εἶπε θεὰ κρυφίων ἐπιμάρτυρα λύχνον ἐρώτων. *In Poëm. de Her. & Lean. v.* 1.

Ergo frustra sunt, qui supponunt, *Præteritum* κέκρυφα *penultimam* habere *Longam*. Immò, nec τέτυφα *penultimam* protrahit, ut mirè admodum probat *Iacobus Gretserus* de *Quant. Verb. in Præt. Cap. XIV*; *in Adnotatis* ad *num. VIII*; ex eo, quia in *Infinitivo Passivo Præterito penultima* non circumflectitur, sed acuitur, τετύφθαι, quùm iuxta leges *Accentuum Longa* ex suâ *Naturâ* ante *finalem Brevem*, cuiusmodi est αι, *Circumflexo* notanda sit, si aliquem habeat *Accentum*. De similibus *Præteritorum penultimis* idem ferendum iudicium, quandoquidem prospectus in similes coniecturas permissus fuerit.

(2) Ε'μπέφυασι. Bene ex hâc *voce*, expuncto κ', corripitur *antepenultima*, quæ fuit *penultima Præteriti* πέφυκα. Etenim sequente *Vocali* ά eliditur *mediâ* ex *parte* illud ύ; sed quùm id fieri nequeat, sequente κ'; idcirco producitur. Quod autem planè res ita habeat, idest ante dictum ύ *Longum* sit ante κ', docet *Theocritus Versu*, qui est 40, *Idyll. XXIII*;

Ε'κ βυθῶ· ὑψηλαὶ δὲ πεφύκεσαν ἀγχόθι πεῦκαι.

(3) Δειδιότων. De *Syllabâ* δεῖ, *primâ* ab *initio* hu-

ius *Vocis* per *Ectasin* Poëticam, loco δε positâ, propriè heic sermo non est; sed de *secundâ* pariter ab initio *Syllabâ*, ubi erat *Diphthongus* οἱ, à quâ expunctum est ι; quocum fit, ut eadem corripiatur. Hinc = δειδιό = *Dactylus*. Itaque à δείδω fit *Præteritum Medium* δέδοικα; subinde δείδοικα, δείδικα, δείδια; unde *Participium* δειδιὼς, ότος, cum ί *Brevi* in *antepenultimâ*, quæ est *secunda*, ut modò innuebam, ab *initio Syllaba vocis* δειδιότων, quia *penultima* in δείδια *Brevis* est.

(4) Ἀλάλημαι *Præteritum* ab ἀλάομαι. Quidam dicunt, esse *Præsens* ab ἄλημαι. Bene utrunque. Ceterùm, quæ huic *Verbo* reperitur præmissa *Litterarum initialium Repetitio*, ut omnes norunt, *Brevis* est, & quod supra in *Præcepti* huius *Versu* IV;o & V;o statuitur, egregiè firmat.

(5) Ἀκάχοιτο 3.tia *persona singularis Præsentis Optativi* à *Verbo* ἄχημι, *primâ* ab *initio Syllabâ*, ubi pariter *Litterarum initialium Repetitio* exstat, correptâ. In *Aoristis* II;dis obviæ sunt *Breves* eiusmodi *Repetitiones*. Videas *Homerum* ad *Odyss.* ξ', *v.* 404; & 272. - π', *v.* 227; - ψ, *v.* 295; & alibi. Quod autem *Callimachus Hym. in Lavac. Palladis v.* 81, *antepenultimam vocis* ἄγαγε produxit, certè non moror; hoc enim Poëmatium *Doricè* scriptum quùm sit, (quia tunc Argis erat Poëta: ideóque cuncta illi gratificari volens eius Civitatis *Dialecto* usus est;) exinde liquet, *vocem* ἄγαγε *Dorico* more usurpatam esse pro ἥγαγε, & consequenter in *antepenultimâ* productam, haud aliter quàm eadem *vox* simili de caussâ exstat producta apud *Theocritum Doricum* profectò Scriptorem:

Ἐσθλὰ τά τυ κ̀ Ζανὸς ἐπὶ θρόνον ἄγαγε φάμα. *Idyll. VII. v.* 93.



PRÆ-

PRÆCEPTUM XX.[um]

De Vocalium Ancipitum in Præteriti Medii Penultimâ Quantitate.

TEmpore, quo fruitur Patris *penultima*, eodem *Præteriti Medii penultima* quippe fruetur.

INTERPRETATIO.

PRæteritum Medium *eam quippe in* penultimâ *quantitatem habebit*, *quam in eâdem* penultimâ Tempora, *à quibus derivatur*, *nobis suppeditabunt*.

ADDITAMENTA.

I. Notandum hîc est, (quod Grammatici vix observarunt,) *Præterita Media* non omnia eâdem confici ratione. Alia enim *Aoristi II;di* sequuntur omnino *Analogiam*, ut τύπτω, ἔτυπον, τέτυπα; λέγω, ἔλεγον, λέλογα; φράζω, ἔφραδον, πέφραδα. Alia ex *Aoristo I;mo* vel ex *Præsente* retinent vel *Diphthongum*, ut φαίνω, ἔφηνα, πέφηνα; πείθω, ἔπιθον, πέποιθα; σαίρω, ἔσαρον, σέσηρα, φεύγω, ἔφυγον, πέφευγα; vel *Syllabam Positione Longam*, ut δέρκω, ἔδρακον, δέδορκα; πέρθω, ἔπραθον, πέπορθα; vel *Vocalem Longam*, ut τρίζω, ἔτριγον, τέτριγα; ῥιγέω, ἔρριγον, ἔρριγα; κρίζω, ἔκριγον κέκριγα; βρίθω, ἔβριθον, βέβριθα; μυκάω, ἔμυκον, μέμυκα; πράττω, ἔπραγον, πέπραγα; (unde non modò πρᾶγος, sed & πρᾶγμα, πρῆξαι, πρῆξις, πρηκτὴρ, id quod in ά *Brevi* non itidem locum habet;) κράζω, ἔκραγον, κέκραγα; κλάζω, ἔκλαγον, κέκληγα; φρίττω, ἔφρικον, πέφρικα &c.

 II. Uno

II. Uno verbo *Præterita Media* ex uſu, & lectione Poëtarum multò meliùs, quàm à Grammaticorum *Regulis* diſcenda ſunt; & ſic rectè de eorum in *penultimis* quantitate liquebit, nec interim à quibus *Temporibus* defluant, ignorabitur.

EXEMPLA.

(1) Πέφραδέ τε Τρώεσσι, κ̀ εὐχόμενος ἔπος ηὔδα. *Hom. Il.* ξ', *v.* 500.

(2) Οἷον σεσηρὼς ἐξαπατήσειν μ' οἴεται. *Ariſtoph. in Veſp.* *v.* 896.

(3) Φύσει, ἐπειδὴ πρῶτα τομὴν ἐν ὄρεσσι λέλοιπεν. *Hom. Il.* ά, *v.* 255.

(4) Τῷ σ' αὖ νῦν ὀΐω ἀποτισέμεν ὅσσα μ' ἔοργας. *Hom. Il.* φ', *v.* 399.

(5) Ε῎ν τε νεοτμάτοισι γεγαθότες οἰναρέοισι. *Theoc. Idyll.* 7. *v.* 134.

(6) Ε῎νθ' ὅγε τὺς ἐλεεινὰ κατήσθιε τετριγῶτας. *Hom. Il.* β', *v.* 314.

OBSERVATIONES.

(1) Πέφραδε *Præteritum Medium* à φράζω. Huius *Verbi Aoriſtus II;dus* eſt ἔφραδον correptâ *penultimâ*, quæ corripitur etiam in πέφραδε, uti apud *Homerum* loco excitato; ex quo liquet, iſtud *Præteritum* ſequi *Analogiam Aoriſti II;di* cum multis aliis, quæ in Scriptoribus obvia erunt, & à quovis poterunt nullo negotio obſervari.

(2) Σεσηρὼς *Participium Præteriti Medii* σέσηρα. Nihil aliud huc animadverſione dignum venit, quàm quod hocce *Præteritum* ſequitur *Analogiam Aoriſti I;mi* cuius *Impropriam*, quam vocant, *Diphthongum Attico* more re-

retinet in *penultimâ*. Etenim Scriptores *Attici* faciunt; ut à σαίρω *Aoristus* I$_{3}$us ἔσηρα exoriatur.

(3) Λέλοιπεν *Præteritum Medium* à *Præsente* λείπω, cuius retinet *Diphthongum* in *penultimâ*, mutatam tamen in aliam, nempe in οι, uti mutari debuerat, iuxta Grammaticos.

(4) Ἔοργας *Præteritum Medium*. Oritur à *Præsente* ἔργω, cuius sequitur *Analogiam*, *penultimam Positione Longam* retinendo, non aliter quàm δέδορκα à δέρκω, & πέπορθα à πέρθω.

(5) Γεγαθότες cum *antepenultimâ Longâ Participium Præteriti Medii* γέγαθα. Ortum ducit hoc *Præteritum* à *Præsente* γαθέω, & *Contractione* factâ γαθῶ, priorem *Naturâ Longam* præferente, quam videas in hoc *Theocriti Versu*, qui est 54, *Idyll. I*;

Οὔτε φυτῶν τοσσῆνον, ὅσον περὶ πλέγματι γαθεῖ.

non quidem ab *Aoristo II$_{do}$* ἔγαθον, cuius *penultima* latâ à Grammaticis lege *Brevis* est; aliàs *penultima* etiam *Præteriti Medii* γέγαθα *Brevis* esset, & perperam illam produxisset idem *Theocritus* ad *Idyll. VII*, *v.* 134; supra relato in Exemplis; & alibi.

(6) Τετριγῶτας cum *antepenultimâ Longâ*, quia non ab *Aoristo II$_{do}$* ἔτριγον, cuius *penultima Brevis* est, sed à τρίζω, cuius ι *Longum*, *Præteritum Medium* τέτριγα derivatur.



PRÆ-

PRÆCEPTUM XXI.um

De Iota Vocalis Ancipitis in Verborum cùm in Mι, *tum aliorum quoruncunque Reduplicationibus Quantitate.*

PRopria *Correptis*, *Variis Impropria* gaudet;
Utraque si subeat *Verbum*, quod desinit in Mι;
Aut quodvis aliud, vulgò *Duplicatio* dicta.

INTERPRETATIO.

REduplicationem, *quam vulgò Grammatici adpellant* Propriam, *cùm* Verba *desinentia in* Mι, *tum etiam alia sive* Barytona *ea sint*, *sive* Circumflexa *corripiunt*; Impropriam *verò producunt modò*, *modò etiam corripiunt*.

ADDITAMENTA.

I. *Propria* quæ sit *Reduplicatio*, & quæ *Impropria* ex iis, quæ hactenus emiserunt in lucem Grammatici, abundè liquet.

II. *Vox Duplicatio*, quæ in *tertio Regulæ Versu* adest, idem sonat, ac *Reduplicatio*; tantùm ibidem *vox Reduplicatio* adhibita non est, quia, ne in *Hexametro Versu* reciperetur, huius *vocis Prosodia* impedimento fuit.

III. Præterea observare oportet, & hoc maximi est, ad hoc *Præceptum*, momenti, sive incuriam, sive osci-tan-

tantiam Græcæ *Prosodiæ* Scriptorum, inter quos vix ullus reperitur, qui de *Reduplicationibus* in *Verbis Barytonis*, & *Circumflexis* occurrentibus mentionem faciat, aut ex professo agat, sed tantùm obiter, & minùs certè, quàm res ipsa postulare videbatur.

IV. Immò, nec ad *Reduplicationum*, quæ *Verbis* desinentibus in ΜΙ obviæ sunt, *Prosodiam* quod adtinet, Auctores ferè omnes adcuratè scripserunt, quandoquidem *priorem* in ἵημι *Syllabam plerunque produci debere*, non dubitarunt adserere. Sed contra fidem horum Auctorum facit *Homerus*, qui eandem *Syllabam* corripit ad *Iliad.* φ', v. 158; *Odyss.* ή, v. 130; – ί, v. 499; – λ', v. 238. Similiter *Longam* aiunt *priorem* in ἵεις, quam tamen correptam invenio apud *Callimachum Hym.* in *Apoll.* v. 103; & alibi. Itaque dicendum, dùm hæc ipsi adfirmant, seu potiùs effutiunt, *Reduplicationum Prosodiam*, eam scilicet, quæ unicè vera est, eosdem neutiquam adsecutos fuisse.

V. Neque huic adserto suffragari potest *vox* ἱέμενος penes *Homerum Odyss.* ά, v. 6; *primâ Longâ*, quam contra me stare quispiam posset contendere. Etenim non me quidem latet, eam *Syllabam* centies ab aliis etiam productam fuisse Scriptoribus; sed & neminem latere quidem debuerat, istud ί ibidem productum esse licenter; nam, ut alibi etiam me dixisse memini, in *vocum quarundam plusquàm trisyllabarum pede priore apud Græcos, præsertim quùm Syllabæ primæ Vocalis sit ά, vel ί, adeò parum in pronuntiando Tribrachyn inter Dactylumque interest, ut uterque potuerit legitimè usurpari*; scilicet in *voce* ἀθάνατος, ἀκάματος, ἀπονέεσθαι; & consequenter in *voce* etiam ἱέμενος, γινόμενος &c.

VI. Tandem, quùm *Reduplicatio Impropria* producitur, non aliâ id ex caussâ fieri posse Tirones censeant, quàm ex *Consonante Vau* ante ipsam pro arbitrio insertâ, ut clariùs infra in *Observat.* demonstrabo.

EXEM-

EXEMPLA.

(1)

Δῶρόν τοι ϗ ἐγὼ, τέκνον φίλε, τῦτο δίδωμι. *Hom. Odyſſ.* ό, *v.* 125.

(2)

Α᾽λλ᾽ ἀνίεις, ἐπεὶ αὐτὸς ἐγείναο παῖδ᾽ ἀΐδηλον. *Hom. Il.* ί, *v.* 880.

(3)

Γῆν ὀλιγηπελέων· ἐμὲ δ᾽ ὐδ᾽ ὣς θυμὸς ἀνίει. *Hom. Il.* ό, *v.* 24.

(4)

Πάντες ἀφ᾽ ἑδράων, ὅτε φαίδιμα τόξα τιταίνει. *Hom. Hym. in Apoll. v.* 4.

Παρτιθεῖ, εὖτ᾽ ἄν μιν κάματος κατὰ γυῖα λάβησι. *Hom. Odyſſ.* ά, 192.

OBSERVATIONES.

(1) Δίδωμι *primâ Brevi*, ubi *Propria*, quam dicunt; exſtat *Reduplicatio*; quâcum facit *Proſodia* & *Regula*, quæ ſemper intacta ſervabitur, niſi ſuperveniat *Poſitio*, ut apud *Callimachum* in *voce* γίγνεο,

Γίγνεο, μή τ᾽ ἄλλοι δαίμονες, οἵ μ᾽ ἔχετε. *Epigr.* 28. *v.* 4.

(2 Α᾽νίεις *mediâ* correptâ, quia hanc *Syllabam Impropria*, ut vulgò dicitur, occupat *Reduplicatio*. Nihil exinde certius, quàm quod eiuſmodi quoque *Reduplicatio* corripi poſſit, ubicunque reperitur.

(3) Α᾽νίει *mediâ Longâ*, ubi *Impropria* habetur *Reduplicatio*. Porro hæc *Syllaba* licenter producitur, inſertâ ſcilicet pro arbitrio *Conſonante Vau*. Pronunciabatur enim hic loci *vox* iſta à Græcis Veteribus non ἀνίει, ut in ſuperiori exemplo ἀνίεις, ſed ἀνίϝει. Atque ita pronuntianda erunt *Verba* idgenus omnia, in quibus *Impropria Reduplicatio* producta obſervabitur.

(4) Τιταίνει *Verbum Barytonum*, cum *Reduplicatione Propriâ* vulgò dictâ, quæ *Brevis* eſt, ut ex ipſa *Homerici Verſûs* ſcanſione adparet. Sic τιτύσκω eâdem ratione *priorem Syllabam*, ubi *Propria Reduplicatio* eſt, *Brevem* exhibet apud *Homerum Iliad.* ί, *v.* 23; *v.* 159;

159; *v.* 370; *v.* 558; & φ', *v.* 342; *v.* 582; itemque *Odyss.* ώ, *v.* 418. &c. Miror tamen *Propriam* hanc *Reduplicationem Longam* in γιγώσκω apud omnes, sed credo, hanc vocem à veteribus Græcis Poëtis pronuntiatam fuisse γιγνώσκω, uti postea scribi coepta est, additâ à *Recentioribus*, ut notant Lexica, litterâ γ; & sic solâ *Positione* eam *Syllabam Longam* esse.

(5) Παρτίθεῖ *Verbum* hoc unum esse ex *Circumflexis* ex *Accentu*, qui *fini* eiusdem appinctus est, manifestò liquet; *Reduplicationem* verò *Propriam* ibidem in *Syllabâ* τί *Brevem* ex eo colligitur, quod παρτίθεῖ in *Homerico Versu* supra in exemplum relato, efficit *Dactylum*. Ergo *Propria Reduplicatio* non solùm obtinet in *Verbis Barytonis*, sed etiam in *Verbis Circumflexis*. Quantitas autem *Reduplicationis* cùm *Propriæ*, tum *Impropriæ* tam in *Verbis* desinentibus in MΙ, quàm in aliis, quibusque eadem semper est cum illâ, quæ à Prosodiographis communiter adsignata est pro *Reduplicationibus Verborum* in MΙ, & quam nos in hoc *Præcepto* exponendo ab illis mutuati, nostris Tironibus commendavimus.



PRÆCEPTUM XXII.um

De Usu & Auctoritate.

ALPHA IN MEDIIS DICTIONIBUS CORREPTUM.

ACcipe quas Usu sortitur *Syllaba* leges
Græca. Petunt *Rapidum mediis* in *vocibus* Alpha
(1) *Verba* in ανω, pariterque in αω finita; (2) supremum
Nomina adusque gradum, quæ rem, ceu φίλτατος, urgent;
(3) Neutra in ανον; (4) Nomenque in αϊς quodcunque virilis
Sit generis; finita in ατης (5) *Gentilia* cuncta,
Ut Γαλάτης, Σαμάτης; (6) sensus *Minuentia*, *Rectum*
Quæ vel habent αδιον, ακιον τ', αριον τ' ατιον τε
(Demptis, quæ *Longum* dant Alpha ab origine); itemque
Nomen (7) αδης sobolem quodvis ex Patre profectum,
Vel notat ex Patriâ civem; (8) *Verbalia* quædam,
Scilicet, ἐργάσιμος, δύνατος, δύνασις τ', ἐλατήρ τε;
Γραμματικὸς quoque, (9) *Rectus* αφος, (10) αλεος τ', αλιος τε,

Ac

(11)
Ac αστιος; subeunt istis *Præverbia*, *sine*

Quæ vel ακις gaudent, vel ακι quandoque fruuntur.

MONITVM.

QVÆ in *Præceptis* antecedentibus separatim à me tradita sunt, coniunctim in hoc, & sequentibus usque ad *Cap. II.* huius *Sect. II.da* inveniuntur. In antecedentibus siquidem, in quibus aliquis ordo servari, ac proinde in pauca conferri commodè poterat, ad unumquodque *Præceptum* infra adieci *Interpretationem*, *Additamenta*, *Exempla*, & *Observationes*, eamque methodum hucusque intactam religiose observavi. Nunc verò post singulas huius *Præcepti* partes, seu *Versuum* divisiones (*Versus* enim in partes tribuere placuit, prout ipsi ad cuiusque *Vocalis Ancipitis Brevitatem* vel *Longitudinem* certè adludunt) habes, quisquis nostra hæc legero non dedignaris, *Interpretationem*, non eam solummodo, quæ rem præceptam explicet, sed etiam, quæ ipsam *Exemplis* confirmet, *Additamentis* augeat, & *Observationibus* inlustret. Hoc autem præstare debui, ne brevitate institutâ exciderem; aliàs, ut nemo non videt, nimis hic prolixus fuissem. Ceterùm, ne *Versus* aliquot huius *Præcepti* carpas, perinde ac si ad *Prosodiam* quod adtinet, stare non possint, & consequenter ad hunc impingas scopulum, scias necesse est, sæpe à me & hic & infra *Breves ultimas* Græcas *Syllabas* productas fuisse, quamvis statim post ipsas *Dictiones* à *Vocali* incipientes subsequantur, ut videre est in αδιον, ακιον, υμος, υτωρ &c. ob eam rationem, quam adducturus sum, ubi de *Cæsurâ* edisseram. Hoc volebam te monitum, nescius ne esses.

QUùm aliquibus Græcis *Syllabis* in *mediis Dictionibus* occurrentibus, quæ modò *Breves* sunt, modò *Longæ*, prout ipsæ constanter apud Græcos Poëtas vel breviantur, vel producuntur, nullus certè ex ante dictis *Canonibus* adsignari queit, rectè tum breviari, vel produci dicuntur Usu & Auctoritate. Itaque nunc inquirere operæ pretium est, in quibus *Dictionibus* locum habeant eiusmodi *Syllabæ*, & qualem præseferant quantitatem. Quibus positis, ab Alpha incipiendum est.

ALPHA CORRIPITVR

(1) In *Verbis* finitis in αω, & in αυω.

De his *Verbis* iam non multa proloquar. Etenim, si de *Verbis* in αυω desinentibus sermo sit, nihil addam ad ea, quæ à me prænotata sunt in *Præcepto XV. De Quantitate penultimæ in Præsente, & Imperfecto* &c.; si verò agatur de *Verbis* finitis in αω, *Naturâ* hæc *Brevia* sunt in Præsentis *penultimâ*. Exemplum sit,

Οἱ δ' ὅτε δή ῥ' ἵκοντο δόμους εὖ ναιετάοντας. *Hom. Odyss.* ώ, ν. 361;

Atque ita pueris ac Tironibus accipienda & utenda. Volunt tamen nonnulli, *Verba* κάω, κλάω, ἐάω, περάω, βοάω, & similia; exceptis ἐφιάω & ἀμφιάω, producere, sed æquè omnia sunt producta licenter, interpositione videlicet *Consonantis Vau*, ac est *Verbum* νάω *Versûs* sequentis:

Χωρὶς δ' αὖθ' ἕρσαι· νάον δ' ὀρῷ ἄγγεα· πάντα. *Hom. Odyss.* ί, ν. 222.

(2) In *Superlativis* Regularibus.

Ρ῾ῆσις. ὁ μὲν, νικῶ, φησὶ τὸ μικρότατον. *Callimach. Epig.* 9, ν. 2.

Κεῖθι δὴ αἰνότατος λόχος ἔπλετο· τεῖρε γὰρ αἰνῶς. *Hom. Odyss.* δ', ν. 441.

(3) In

(3) In *Nominibus* Neutris desinentibus in ανον.

Σύκιον εὐρήσεις ἀρτιγλυφὲς ξόανον. *Theoc. Epig.*, *v.* 2.

Sic ὄργανον, δρέπανον &c.

(4) In *Nominibus* Masculinis finitis in αϊς.

Καὶ γὰρ Μαιῶτις λίμνη, Τάναϊς βαθυδίνης. *In Orac. Sibyllin.*

Perinde Κάλαϊς, Θήβαϊς &c. *penultimam* corripiunt. Hæc tamen *Nomina* nescio an non omnia sint *Propria*. Quicquid sit, exemplum *Nominis* Masculini finiti in αϊς, *Proprii*, in numerato non habeo.

(5) In *Nominibus Gentilibus* finitis in ατης.

Γαίης ἐκ Γαλάτων μήδ' ἄνθεα &c. *In Antholog. Lib.* 2.

Τὸν δὲ μετεκδέχεται Γαλάτης ῥόος ἔνθά τε γαῖα. *Dionys. de Sit. Orb.* *v.* 74.

Γερμανοὶ, Σαμάται τε, Γέται θ' ἅμα, Βαςάρναι τε. *Dionys. de Sit. Orb.* *v.* 304.

Quibus accedunt Σαρμάτης, Ἀντιφάτης, Εὐφράτης, & pauca alia.

(6) In *Nominibus Diminutivis* desinentibus in αδιον, ακιν, αριον, & ατιον.

Ὄξει δὲ πᾶσα, καὶ λοπάδιον, χύτρα. *Arist. in Pl.* *v.* 795.

Ἀλλ' οὖν νυν. ἦν μοι τὶ μειράκιον φίλον. *Arist. in Pl.* *v.* 958.

Αὐταί γε καὶ τὰ θυλάρια τέφραν ποθὲν λαβοῦσαι. *Arist. in Th.* *v.* 544.

Ὡς τάχισ' ἄνευ δορατίου, καὶ ξίφους κἀκοντίου. *Arist. de Pac.* *v.* 552.

Excipitur tamen θωράκιον, οἰάκιον, & si quæ alia à *primitivis* producti derivantur, ut κοράσιον &c.

Ἀ Κύπρις Μούσαισι· Κοράσια, τὰν Ἀφροδίταν &c. *Musicii*, sive *Platonis*, & ext. in *Collect. Epigram. Thom. Johnson Eton.* 1767. *pag.* 4.

Ergo frustra sunt, qui duplicato σ scribunt κοράσσια, cuius sanè non erat opus.

(7) In *Nominibus Patronymicis* finitis in αδης.

Μῆνιν

Μῆνιν ἄειδε θεὰ Πηληϊάδεω Ἀχιλῆος. *Hom. Il.* ά, *v.* 1.
Ubi *Syllabæ* ηϊα *Dactylum* conflant.

(8) In quibuſdam *Verbalibus*; cuiuſmodi hæc ſunt,

Ἐργάσιμος,

Καὶ σοφίας, ἀρετῆς τε, ϰ̀ ἐργασίμου θρασύτητος. *Orph. in Hym.*

Δυνατὸς,

Ἐγὼ τοσαῦτα δυνατός εἰμ' εἰς ὧν ποιεῖν; *Ariſt. in Pl. v.* 186.

Δύνασις,

Δύνασιν ἄδικον — ἐφέλκων. *Eur. in Herc. Fur. v.* 77.

Ἐλατὴρ,

Πηλογόνων ἐλατῆρα, δικασπόλον οὐρανίδῃσι. *Callim. Hym. in Iov. v.* 3.

Γραμματικὸς,

Γραμματικοὶ μώμου στυγίου τέκνα σῆτες ἀκάνθων. *Anthloog. Lib.* 2.

(9) In *Nominibus* deſinentibus in αφος.

Ὅσσον τίς τ' ἔδαφος νηὸς τορνώσεται ἀνὴρ. *Hom. Odyſſ.* έ, *v.* 249.

(10) In *Nominibus* deſinentibus in αλεος, αλιος, & ασιος.

Διψαλέος,

Διψαλέος, τὸ δὲ πολλὸν ὕδωρ ὑπὸ ποσσὶν ἔκειτο. *Callim. Hym. in Iov. v.* 27.

Εἰνάλιος,

Εἰνάλιαι τίκτουσιν ἐνὶ σπιλάδεσσιν ἐρήμοις. *Callim. Hym. in Del. v.* 243.

Θαυμάσιος,

Θαυμασίην γὰρ τήνδε νεήφατον ὄσσαν ἀκούω. *Hom. Hym. in Merc. v.* 442.

(11) In *Adverbiis* finitis in ακι, & in ακις.

Ὁσσάκι,

Ὕστερον, ὁσσάκι κύκνοι ἐπ' ὠδίνεσσιν ἄεισαν. *Callim. Hym. in Del. v.* 254.

Πολλάκις,

Πολλάκις ἐκ Τροιζῆνος ἀπὸ Ξάνθοιο πολίχνης. *Callim. Hym. in Del. v.* 41.

Al-

Alpha in Mediis Dictionibus Productum.

(1) ALpha iugant *Longis*, αων quæ *fine* feruntur,
Nomina, (deme φάων, Γαβάων & si qua supersunt);
(2) Ανος finita ac ανις *Gentilia* quotquot
Nomina, vel (3) *Propria* (eximitur sed Δαρδανὶς) adsunt;
(4) *Nomina* item *Lapidum* vel *Propria* in ατις, & ατης;
(5) *Propria* feminei sexûs, queis finis in αϊς
Adfuerit, nec non (6) *Numeralia*; multaque in (7) ασις,
Ασιμος, ac ατης, ατηρ, quibus ατικος, ατος,
Finita accedunt; (8) productum *Casibus* ἀνὴρ
Obliquis Alpha exposcit, variabile *Recto*.

INTERPRETATIO.

ALPHA PRODVCITVR,

(1) In *Nominibus* desinentibus in αων,
τοῖσι δ' ἔπ' Ι'δομενεὺς ϗ ὀπάων Ι'δομενῆος. *Hom. Il.* ν. v. 165.

Perin-

Perinde Alpha *Longum* est in *penultimis Nominum* consimilium μαχάων, λυκάων, ποσιδάων, &c. sive *Breve* in *Obliquis Crementum*, sive *Longum* habentium.

Excipiuntur φάων, & Γαβάων, & si quæ alia idgenus *Nomina* penes Scriptores fortè occurrent.

(2) In *Nominibus Gentilibus* & *Propriis* cùm in ανος, (3) tum in ανις desinentibus,

Γερμανοὶ, Σαμάται τε, Γέται θ' ἅμα, Βαςάρναι τε. *Dionys. de Sit. Orb.* v. 304.

Δισσαὶ νῆσοι ἔασι Βρετανίδες, ἀντία ῥήνυ. *Dionys. de Sit. Orb.* v. 566.

Corripitur tamen Alpha in Δαρδανίς;

Δαρδανίες, τόθι λοξὸν ἀπὸ σκοπέλων ἀκεσίνην. *Dionys. de Sit. Orb.* v. 1136.

(4) In *Nominibus Propriis*, & Lapidum finitis in ατης, & ατις,

Τῦ δ' ἂν ἐπὶ πλευρῇσιν ἴδοις εὐωπὸν Ἀχάτην. *Dionys. de Sit. Orb.* v. 1073.

Reliqua, ut σπαρτιᾶτις, ἀσιᾶτις &c. non firmantur exemplis, quia horum *Nominum Prosodia* ex *Accentu Circumflexo* in *penultimâ* manifestò se prodit.

(5) In *Nominibus Propriis* feminini generis desinentibus in αϊς,

Δίζεσθαι, φυλῆς Πτολεμαΐδος ἐκ πατρός. *Callimach. Epig.* 11. v. 3.

(6) In *Numeralibus*,

Οὕνεκεν ἠρώησε τριακοντάζυγον Ἀργώ. *Theocr. Idyll.* 13, v. 74.

Dorica vox τριακοντάζυγον notanda hic est, quam alii Scriptores certè omnino scripsissent, in primisque *Homerus*, τριηκοντάζυγον. Sic non τριακόσιος præfert idem *Homerus*, sed τριηκόσιος; nec τριάκοντα, sed τριήκοντα. Videas eundem ad *Odyss.* ξ', v. 20 - ψ', v. 390; *Iliad.* β', v. 187. &c. At τεσσαράκοντα corripitur in *antepenultimâ* ad *Iliad.* β', v. 137., & *antepenultima vocis* τριτάτοιο *Brevis*

perin-

perinde est apud *Aratum* in *Prognost. v.* 54. Ex quibus omnibus colligas velim, Alpha quidem *Longum* esse in *Numeralibus*, quando ista *Vocalis* migrat in η, non iam quando apud omnes Scriptores servatur intacta. Itaque, etsi centies occurrat τριήκοντα pro τριάκοντα &c., nec simplici vice in aliquo Scriptore τεσσαρήκοντα pro τεσσαράκοντα poteris adinvenire.

(4) In quibusdam *Verbalibus* finitis in ασις, ασιμος, ατης, ατηρ, ατικος, & ατος,

Κρᾶσις, Φᾶσις *fl. Colch.* &c.

Non opus est exemplis ad comprobandam horum *Nominum* in *penultimâ* quantitatem; *Accentus* enim, quo *penultima* in illis adpingitur, *Circumflexus* omnem admit ambiguitatem. Similiter *Verbalia* desinentia in ασις, quæ in *penultimâ Brevia* sunt, ex *Accentu* dignoscuntur. Hinc βάσις, φάσις &c. corripiunt *penultimam*, aliàs scriberentur βᾶσις, φᾶσις &c.

Ἰάσιμος,

Δεινὴ γὰρ ἡ θεὸς, ἀλλ' ὅμως ἰάσιμος. *Eur. in Or. v.* 400.

Θεατής,

Ποτέρα θεατὴς ἢ χάριν μαντευμάτων. *Eur. in I. v.* 301.

Ἰατήρ,

Ἕλκος δ' ἰητὴρ ἐπιμάσσεται, ἠδ' ἐπιθήσει. *Hom. Il.* δ', *v.* 190.

Ἰητὴρ *vox Ionica* est, communi *Dialecto* dicitur ἰατήρ; probatur tamen, ᾱ huius *vocis Longum* esse, quia ᾰ *Breve* nunquam in η *Ionicum* migrat: unde in *Vulg.* ad *Odyss.* ἑ, *v.* 163; male εὑρείην, sed εὑρεῖαν, rectè, notante *Barnesio*, scribi debuerat.

Πειρατικός,

In legendis Græcis Poëtis nondum in eum locum incidi, unde exemplum sumerem ad firmandam *Prosodiam Nominis* πειρατικὸς in *antepenultimâ*, quâ heic de agitur, *Syllabâ*. Mihi tamen non deest, quod idem aliunde probem. Πειρατὴς & πειρατικὸς unam eandemque

 ori-

originem habent, *Verbum*, nimirum πειράω. Porro πειρατής suum Alpha producit,

Ἠ'ν μὴ πειρατὴς ἐν πελάγει σε λάβῃ. *In Antholog. Lib. II.* ex *Nicarcho*.

Non ergo dubium est, quin & πειρατικὸς suum producat: Καίρατος,

Χαῖρε δὲ Καίρατος ποταμὸς μέγα, χαῖρε δὲ Τηθύς. *Callim. Hym. in Dian. v.* 44.

Eandem quantitatem præfert Θεατὸς. *Sophoc. in Aiace, v.* 927.

(8) Tandem *Nomen* ἀνὴρ habet hoc peculiare, ut in *Recto* suum Alpha pro libito vel producat, vel corripiat;

Οὐ γάρ τι γλυκύθυμος ἀνὴρ ἦν, ὐδ' ἀγανόφρων. *Hom. Il. ύ, v.* 467.

Τῷδ' ὅπως τις ὁμοῖος ἐπιχθονίων γένετ' ἀνήρ. *Hom. Il. β', v.* 553;

In *Casibus* verò *Obliquis* & in *Compositis* semper producat:

Κοσμῆσαι ἵππυς τε καὶ ἀνέρας ἀσπιδιώτας. *Hom. Il. β', v.* 61.

Κτὶ μεγάνορος ἔξοχα πλύτυ. *Pindar. Od.* 1. *v.* 4.



Iota

Iota in Mediis Dictionibus Correptum.

(1) (2) (3) (4)
Κυρίδιον, κόριον λυκιδεὺς, dein Ναυτίλος atque
(5)
Νεςορίδης, & quæ ſimilis ſunt *Nomina* formæ;

Paucis exceptis, breviant conſtanter Iota.
(6)
Sic & ινη finita & ινος, quæ tempora, ſive

Materiam referunt, ſuntque *Adiectiva*, ſimulque
(7)
Derivata in ιτις, ιτος, ac ικος: addito iiſdem

Cuncta in ιμος pariter quovis ex fonte profecta;
(8) (9)
Collativa in ιων, quæque hâc ſunt prædita formâ

In *Recto*, ac promunt *Crementum Nomina Longum*.

INTERPRETATIO.

IOTA CORRIPITVR

(1) in *Diminutivis* in ιδιον:

Κυρίδιον, (τὸ μὲν ὐκ ἂν ἐγώ ποτε μὰψ ὀμόσαιμι).
Hom. Il. 6, v. 40.
Excipitur ἱματίδιον, & ἀργυρίδιον,

Ε'ν τοῖσιν ἱματιδίοις; ϗ ταῦτ' ἄνευ κονίας. *Ariſt. in Lyſ. v.* 471.

Ε'γωγέ τοι διὰ σμικρὸν ἀργυρίδιον. *Ariſt. in Pl. v.* 147.
Credo, & alia his ſimilia eâdem exceptione laborare.

(2) In *Diminutivis* in ιον,

Νῦν μὰν ὦ κόριον νῦν αὐτὸ γανεῖν γε μαθεῦμαι. *Theoc. Idyll. XI. v.* 60.

(3) In *Diminutivis* in ιδευς,

Τρέψαι κὴ λυκιδεῖς, τρέψαι κύνας ὥς τυ φάγωντι. *Theoc. Idyll. V. v.* 38.

(4) In iis, quæ minuendi notionem retinent, & desinunt in ιλος,

Ναυτίλον δὲ πελάγεσσιν ἐπέπλεον εἰ μὲν ἀῆται. *Callimach. Epigr. V. v.* 3.

Sic & in aliis desinentibus in ιλος, ut credo,

Οὗτος ὁ Λευκίτας ὁ κορυττίλος, εἴ τιν ὀχεύσεις. *Theocr. Idyll. V. v.* 147.

(5) In *Nominibus Patronymicis*, quæ desinunt in ιδης,

Ἄσιος Ὑρτακίδης ὃν Ἀρίσβηθεν φέρον ἵπποι. *Hom. Il.* β', *v.* 345;

& similia, scilicet, Ταλαϊονίδης, Ναυβολίδης &c.

(6) In *Nominibus Adiectivis Possessivis*, & *Materialibus* desinentibus in ινος, & ινη,

Λάϊνον ἕσσο χιτῶνα, κακῶν ἕνεχ' ὅσσα ἔοργας. *Hom. Il.* γ', *v.* 57.

Κέδρινον ὑψόροφον, ὃς γλήνεα πολλὰ κεχάνδει. *Hom. Il.* ώ, *v.* 192;

Et in illis, quæ tempus significant,

Ὥρῃ ἐν εἰαρινῇ, ὅτε τε γλάγος ἄγγεα δεύει. *Hom. Il.* β', *v.* 471.

At μεσαμβρινὸς, Latinè „ meridianus „ suum Iota producit aliquando,

Ἀμφότεραι λῶοντο, μεσαμβριναὶ δ' ἔσαν ὧραι. *Callimach. Lav. Pall. v.* 73.

Interdum verò corripit,

Οὐ θέμις, ὦ ποιμὰν, τὸ μεσαμβρινὸν, οὐ θέμις ἄμμιν. *Theoc. Idyll. I. v.* 15.

Nec dubito, quin & alia idgenus *Nomina* eandem præferant *Prosodiam*.

Et consequenter Iota corripiunt *Nomina Adiectiva* feminina,

nina, quæ orta sunt à masculinis prædictis in ινος, ut μυῤῥίνη &c., & quod nuper adtuli, εἰαρινή.

(7) Iota item corripitur in *Nominibus Derivativis* finitis in ισις, ιτος, ικος, & ιμος,

Κρίσις,

Καὶ κρίσιν Ἑλλήνων συνεργὴν ἀπέδειξε θάλασσα. *Anthol. Lib. I.*

Ἄκριτος,

Τὰς εἶμ᾽ ὀψομένη, καί σφ᾽ ἄκριτα νείκεα λύσω. *Hom. Il.* ξ΄, v. 205.

Πρακτικὸς,

Οἴυκ γὰρ εὕροις ἄν τι πρακτικώτερον; *Arist. in Eq.* v. 91.

In *Comicis* minus exercitati Tirones melius ex sequenti *Versu Nominis* in ικος quantitatem addiscent,

Τὸν πατρικὸν πλᾶτον νέος ὢν Θήρων ὁ Μενίππυ. *Lucian. in Epig.*

Ἀνδρὶ δὲ παρθενικᾶς ἀπαλᾶς πόθος· ὦ πάτερ, ὦ Ζεῦ. *Theocr. Idyll. VIII.* v. 59.

Νόςιμος, (at in Ἰφθιμος producit *Hom. Iliad.* ά, v. 3; & *Theocr. Idyll. XVII.* v. 110; & alii alibi.)

Ἧσθιον· αὐτὰρ ὁ τοῖσιν ἀφείλετο νόςιμον ἦμαρ. *Hom. Odyss.* ά, v. 9.

(8) In *Comparativis* desinentibus in ιων,

Τῶ κ̣ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή. *Hom. Il.* ά, v. 249.

(9) In aliis *Nominibus*, quorum *Nominativus* desinens in ιων est, atque ex se *Longum* in *Genitivo Incrementum* egerit,

Δευκαλίων,

Δευκαλίων δ᾽ ἐμὲ τίκτε πολέσσ᾽ ἄνδρεσσιν ἄνακτα. *Hom. Il.* ν΄, v. 452.

Μίνως δ᾽ αὖ τέκεθ᾽ υἱὸν ἀμύμονα Δευκαλίωνα. *Hom. Il.* ν΄, v. 451.

Sed in iis, quæ *Incrementum* corripiunt, idem Iota semper producitur,

Φυλείδης τε Μέγης, Ἀμφίων τε Δρακίος τε. *Hom. Il.* ν΄, v. 692.

Ὁπλοτάτην κούρην Ἀμφίονος Ἰασίδαο. *Hom. Odyss.* λ΄, v. 282.

Iota

Iota in Mediis Dictionibus Productum.

(1)
NOmina, quæ ex Patre, vel Patriâ formantur, in ινη:
(2)
Cum reliquis ferme, quæ *fine* feruntur eâdem;
(3) (4)
Ιτης, ac ιτις quæ produnt, quotquot & ιων

Collativa tibi dabit Attica copia fandi;

Producunt, præter quædam Verbalia, Iota:
(5) (6)
Ιμα tamen variant, *finis* dein ια vel ιη;
(7) (8) (9) (10)
Et Κρονίων, βραχίων, Ωρίων, *Verbaque* in ιω;

Atque in ινω. Veteres monstrabunt plura Poëtæ.

INTERPRETATIO.

IOTA PRODVCITVR

(1) In *Nominibus Patronymicis*;
Εὐηνίνη,
Κύρη Μαρπίσσης καλλισφύρυ Εὐηνίνης. *Hom. Il. ι, v.* 553.
Et consequenter producitur in Νηρίνη &c.

(2) In aliis ferè omnibus *Nominibus* finitis in ινη;
Τῷ σφέας ὖκ ἐτάλασσαν ἀκηδέες ὠκεανῖναι. *Callim. Hym. in Dian. v.* 62.
Multò tamen plura sunt *Nomina* desinentia in ινη, quæ Iota corripiunt, à Prosodiographis minùs observata, uti ex sequentibus auctoritatibus licet agnoscere:

Δωριέ-

Δωριέες, πυκινὴν δὲ νάπαις Ἄζιλιν ἔναιον. *Callim. Hym. in Apoll. v.* 89.

Ποιήσεις· θαμιναὶ γὰρ ἐς ὕςερον εἰλαπίναι τοι. *Callimach. Hym. in Cer. v.* 65.

Id quod & multis aliis exemplis possent probari, si esset opus.

(3) In *Nominibus* in ιτης, & ιτις,

Μακαρίτης, Θερσίτης,

Ὡς μακαρίτην ὦ Δάματερ τὸν βίον αὐτοῦ κατέλεξας. *Arist. in Pl. v.* 537.

Θερσίτης· τῷ δ' ὦκα παρίςατο δῖος Ὀδυσσεύς. *Hom. Il.* β', *v.* 244.

Ζεφυρῖτις,

Κόγχος ἐγὼ, Ζεφυρῖτι, παλαίτερος· ἀλλὰ σὺ νῦν με. *Callim. Ep.* 5. *v.* 1.

Sic πολῖτις, = hæc civis =, & alia, quorum *Prosodia* etiam ex *Accentu* in *penultimâ Circumflexo* dignoscitur.

(4) In *Comparativis* finitis in ιων.

Κακῖον,

Φρονοῦσι γὰρ κακῖον Ἑλλήνων πολύ. *Eur. B. v.* 483;

Sed hæc *Prosodia* in Scriptoribus *Atticis* tantùm obvia est, in aliis verò eandem non reperies.

Verbalia in ιτης, quæ Iota corripiunt, sunt κριτὴς, κτίτης &c.

Ἁ τοῖς πολλοῖσιν ἤρεσκε κριταῖς. *Soph. in Aiac. v.* 1260.

Ὦ γαῖα Δαναῶν, ἱππίου τ' Ἄργους κτίται. *Eur. in Orest. v.* 1621.

(5) In *Nominibus* finitis in ιμα Iota variatur secundùm *Primitivi* quantitatem;

Itaque in κρίμα *Breve*, quia à κέκριμαι *mediâ* correptâ;

Εἰς κρίμα δισσὸν ἔβην &c. *Nonnus*;

In χρῖμα *Longum*, quia à χρίω, χρίσω &c., quæ modò ab Usu, & Lectione discenda sunt.

Χρίματα, τᾶς ἰδίας ἔκγονα φυταλιᾶς. *Call. Lav. Pall. v.* 26.

(6) In *Nominibus* quoque finitis in ιη, vel ια Iota sæpe corripitur, & non raro etiam producitur. Multa *Homerus*

rus huius rei adfert exempla. Duo tantùm, quæ instar omnium erunt, in medium proferam.

Ἤριπε δ' ἐν κονίῃ, ψυχρὸν δ' ἕλε χαλκὸν ὀδοῦσιν. *Hom. Il.* ξ, *v.* 75.

Πλησίοι ἀλλήλοισι, μιάνθησαν δὲ κονίῃ. *Hom. Il.* ψ, *v.* 732.

Ne autem hæc inter Poëticas *Licentias* enumeres, scias velim, in ante dictis *Nominibus*, seu *vocibus* finitis in *ια* vel *ιη*, *penultimam Naturâ Brevem* semper poni, sed tantùm *Longam* fieri vel scribendo *Diphthongum*, vel *Ionicam Vau*, quæ, ut dixi, sæpius, *Duplicis Consonantis* vicem gerit, interserendo; quod & in *Hexametris* saltem, idoneâ datâ necessitate, vix pueris negandum duco, dummodo non omittatur *Diphthongus* in his, scilicet, ἀεργίη, ἀτιμίη, ἀϊδρίη; quæ ita scribi debebunt ἀεργείη, ἀτιμείη, ἀϊδρείη.

(7) Item variatur Iota in Κρονίων, cuius *Genitivus* modò scribitur Κρονίονος, modò Κρονίωνος, ita tamen, ut cum eiusdem *Genitivi penultimâ Longâ*, Iota corripiatur, cum *Brevi* verò, producatur.

Ὣς ἔφατ'. οὐδ' ἄρα πώ οἱ ἐπεκραίαινε Κρονίων. *Hom. Il.* β', *v.* 419.

Ζηνὸς δ' οὐκ ἂν ἔγωγε Κρονίονος ἆσσον ἱκοίμην. *Hom. Il.* ξ', *v.* 247.

Ὅσπερ φίλτατος ἔσκε Διὶ Κρονίωνι ἄνακτι. *Hom. Il.* σ', *v.* 118.

(8) Variatur quoque in βραχίων,

Τοῦ γὰρ δυσσεβέος βραχίων κλασθήσετ' ἀτειρής. *Dolsc.*

Οὐδὲ μενεπτόλεμος δηίων ἐσάωσε βραχίων. *Apolinar.*

Duo hæc exempla leguntur apud *Conradum Dinnerum* ad Verb. βραχίων. Porro βραχίων hìc, & quod infra est, *Nomen* Ὠρίων sequuntur *Analogiam vocis* Κρονίων.

(9) Et in Ὠρίων,

Ἀθρόος Ὠρίων, Κηφεὺς δ' ἀπὸ χειρὸς ἐπ' ἰξύν. *Arat. in Phæn. v.* 310.

Μὴ στυγνὸν Ὠρίωνα. *Anacr. Od.* εἰς ποτήριον ἀργυροῦν.

(10) Tandem variatur Iota in *Verbis* finitis in *ιω*,

& in

& in *ινω*, ideſt, modò *Breve* modò *Longum* apud Scriptores reperitur. Quantùm adtinet ad *Verba* deſinentia in *ιω*, videas Exempla ad *Præceptum XV.* in *Obſervat.* ad *numerum* inter uncinos clauſum (7); & inſuper in *τίνω* Iota producit *Homerus Il. γ́, v.* 288; & alibi paſſim; *Euripides* verò corripit *Iphig. in Taur. v.* 339; *in Alceſt. v.* 56; &c. hic tamen *Attico* ore proloquens, ille à ſuâ *Ionico-Poëticâ Dialecto* non diſcedens. Perinde erit in *φθίνω*, & ſimilibus.



Ypsilon in Mediis Dictionibus Correptum.

YPsilon exposcunt *Rapidum polysyllaba* cuncta
(1) (2) (3)
Nomina Fixa in υνη, multa *Adiectiva*, simulque

Quæ vel υνος, vel υρος produntur *Nomina*. Iunge
(4) (5)
His in υλος *Minuens*, nec non *Verbalia*, *finem*
(6)
Quotquot υσι; promunt, in υτης & *Nomina Quintæ*.

INTERPRETATIO.

YPSILON CORRIPITVR

(1) in *Nominibus Substantivis polysyllabicis* finitis in υνη;
Γηθοσύνη δὲ θάλασσα διΐςατο. τοὶ δ' ἐπέτοντο. *Hom. Il.* ν', ν. 29.
Ubi τὸ γηθοσύνη pro *gaudio* vel *lætitiâ Latinè* exponitur, & sic *Nomen Substantivum* est & *polysyllabon*.

Nomina etiam *Propria* desinentia in υνη *polysyllabica*, quod haud certè observarunt *Recentiores* Prosodiographi, Ypsilon corripiunt,

Α'γλαΐην, κ̀ Εὐφροσύνην, Θαλίην τ' ἐρατεινήν. *Hes. in Theog.* ν. 906.

Adde γυνὴ cum *Compositis*:

Α'λλ' ἔχον ὥστε τάλαντα γυνὴ χερνῆτις ἀληθής. *Hom. Il.* μ', ν. 433.

Sed in μύνη Ypsilon producitur,

Α'λλ' ἄγε μὴ μύνῃσι παρέλκετε μηδ' ἔτι τόξυ. *Hom. Odyss.* φ', ν. 111.

(2) In

(2) In multis *Adiectivis* finitis cùm in υνη, tum in υνος, & υρος,

Γηθοσύνῃ δ' οἱ υἷον ἔφην ἀριδείκετον εἶναι. *Hom. Odyss.* λ', *v.* 539.

Ubi τὸ γηθοσύνῃ *Nomen Adiectivum* est.

(3) Τόξοισιν πίσυνος τὰ δέ μ' ὐκ ἄρ' ἔμελλον ὀνήσειν. *Hom. Il.* έ, *v.* 205.

Ω'μοτόκος, (τάς φαντὶ πέλειν βλοσυρώτατον ὄμμα). *Call. Hym. in Cer. v.* 53.

(4) In *Nominibus Diminutivis* finitis in υλος, Μικκύλος, &c.

Μικκύλα μὲν τήνω τὰ χερύδρια, μακρὰ δὲ βάλλει. *Mosch. Idyll. I. v.* 13.

(5) In *Nominibus Verbalibus* in υσις,

Εὐρεῖαν. φύλλων γάρ ἔην χύσις ἤλιθα πολλή. *Hom. Odyss.* έ, *v.* 483.

(6) In *Nominibus Substantivis Quintæ Declinationis*, *Simplicium* desinentibus in υτης,

Βραδυτής, &c.

Οὐδὲ γὰρ ἡμετέρῃ βραδυτῆτί τε νωχελίῃ τε. *Hom. Il.* τ', *v.* 411.



Dd 2 Ypsi-

Ypsilon in Mediis Dictionibus Productum.

(1)
YPsilon extendunt contra *Verbalia* in *υμα*;
(2) (3) (4)
Υτηρ, ac *υμος*, *υτωρ*que; his *Nomina* iunges
(5) (6) (7)
Quotquot erunt *υτης*, *υτος*, finitaque in *υτις*,
(8) (9)
Pauca ex *Præteritis* ſi demas condita; &, *υνω*,
(10) (11)
Υρωνε, aut *υχω*, *Verbum*, quod *fine* fruetur,

Ypſilon extendet, ni *Primis* duxerit ortum,

I'*θυνέω*, veluti, *κυρέω*, *βρυχέω*que, *Futuris*.
(12)
Finitis in *υω* quando *penultima Verbis*

Aut *Brevis*, aut *Longa* adfüerit, te Muſa docebit.

INTERPRETATIO.

YPSILON PRODVCITVR

(1) in *Nominibus* finitis in *υμα*, ut *Λῦμα*, & ſimilia; quorum *Proſodia* plerunque ex *Accentu*, qui *Nominativo ſingulari* adpingitur, etiam liquet.

Οἱ δ' ἀπελυμαίνοντο, κ̀ εἰς ἅλα λύματ' ἔβαλλον. Hom. Il. ά, ν. 314.

(2) In

(2) In *Nominibus* finitis in υτηρ, ut,
Ῥυτήρ, &c.

Αὐτῶ βυλοίμην σαθμῶν ῥυτῆρα γενέσθαι. *Hom. Odyss.* ρ′, *v.* 187.

(3) In *Nominibus* finitis in υμος, ut,
Θυμὸς cum *Compositis*, &c.

Φράζεσθαι δ' ἤπειτα κατὰ φρένα ϗ κατὰ θυμόν. *Hom. Odyss.* ά, *v.* 294.

Τὰν δὲ γυνὰ βαρύθυμος ἀμείβετο δακρυχέοισα. *Call. Hym. in Cer. v.* 81.

(4) In *Nominibus* finitis in υτωρ,
Λύτωρ, &c.

. . . . . τὸν λοιμῦ λύτορα ϗ θανάτυ. *Epig. Lib. I. ex Antholog.*

(5) In *Nominibus* finitis in υτης, veluti,
Πρεσβύτης, &c.

Δέδοικά σ' ὦ πρεσβῦτα μὴ πληγῶν δέῃ. *Arist. in Nub. v.* 357.

(6) In *Nominibus* finitis in υτος, ut,
Κωκυτός, &c.

Κωκυτῦ δ' ἤκυσε ϗ οἰμωγῆς ἀπὸ πύργυ. *Hom. Il.* χ′, *v.* 447.

(7) In *Nominibus* finitis in υτις, ut,
Πρεσβῦτις,

Χρησμὼς ἁ πρεσβῦτις ἀπῴχετο θεσπίξασα. *Theocr. Idyll. XV. v.* 63; &
Ῥῦτις, &c;

Οὐδὲ παρειάων ῥυτίδας ἐκτανύσεις. *In Epig. Anth.*

Ex ῥύσαιτο *Odyss.* ζ′, *v.* 129; primâ *Longâ* oritur ῥῦτις, primâ similiter *Longâ*. Ex ῥυσάμην verò *Il.* ό, *v.* 29; primâ *Brevi*, oritur ῥύτις primâ similiter *Brevi*. Quare adtendenda est *Derivatorum Prosodia*.

(8) Excipiuntur quædam *Nomina* ex *Præteritis* deducta, cuiusmodi sunt ἄλλυτος, φυτὸς, & similia cum *Compositis*, σύμφυτος, &c.

Ἄλλυτος ἡβάσκει γυιοτακὴς πενίη. *In Epig. Lib. VI. ex Anth.*

Τὸν μὲν ἐγὼ θρέψασα φυτὸν ὣς γυνῷ ἀλωῆς. *Hom. Il.* σ′, *v.* 57.

Prior

Prior enim *vox* ἄλλυτος à λέλυμαι; *posterior* verò Θυτὸς à τέθυμαι ortum ducit; quæ duo *Præterita* à *Brevibus* incipiunt duabus.

(9) In Verbis finitis in υνω,

Ἰθύνω, &c.

Λαὸν ὑπὸ σκολιῆς, οἵ τ' ἔμπαλιν ἰθύνουσιν. *Call. Hym. in Iov. v.* 83.

Cur verò in ἰθυνέομαι, si tamen hoc *Verbum* in usu sit, corripitur Ypsilon, videas ad *Præceptum VII. De Derivatione* in *Observ.* ad *numerum* inter uncinos clausum (7).

(10) In *Verbis* finitis in υρω,

Κύρω, &c.

Αἰὲν ἐπ' αὐχένι κῦρε φαεινοῦ δουρὸς ἀκωκῇ. *Hom. Il.* ψ', *v.* 821.

Quare in κυρέω corripitur Ypsilon, videas ad *Præceptum VII. De Derivatione* in *Observ.* ad *numerum* inter uncinos clausum (7).

(11) In *Verbis* finitis in υχω,

Βρύχω, &c.

Βέβρυχε ῥόθιον, λισσὴ δ' ἀναδέδρομε πέτρη. *Hom. Odyss.* ε', *v.* 412.

(12) In *Verbis* finitis in υω, Ypsilon modò *Breve* modò *Longum*. Videas Exempla ad *Præceptum XV. De Quantitate Penultimæ in Præs. & Imperf.* congesta, ne actum hic denuo agatur inutiliter.



CAP.

CAP. II.[um]

De Vocalium Ancipitum in ultimis cuiusvis Dictionis Syllabis Quantitate.

PRÆCEPTUM I.[um]

DE ALPHA IN FINE.

ALpha *Breve* est *finis*. *Contracta* & *Nomina Purè*
Simplicium ac in δᾶ, θᾶ, ρᾶ finita *Secundæ*,
Quando *Paroxytona* adfuerint, (μία demitur unà
Cum δία, quæ *finem* rapiunt, dein Σάῤῥα, τανάγρα,)
Oxytona eiusdem, (*Brevis* est sed παιδιὰ *ludus*,)
Quintus ab ας *Recto Primæ*, *Quintusque*, Poësis
Quem feret, ut Κάλχα, *Genitivus Doricus*, atque
Atticus, ut (α) Νηρέα, *Quartus*, *Numerusque Dualis*:
Hæc in *fine* dabunt *Longis Vocalibus* Alpha.

INTERPRETATIO.

GRæcæ Dictiones *omnes Alpha in* fine *præferentes*, *id ipsum corripiunt*.
Excipiuntur, *idest*, *Alpha in* fine *producunt*

Con-

(α) Factâ Συνίζησι ambæ *Vocales* έ & ά *vocis* Νηρέα coëunt in unam *Longam* Syllabam.

Contracta, *sive* Verba, *sive* Nomina *ea sint*, *quæ*, *nimirum*, *Alpha in* ultimâ Syllabâ *habent non* Simplex, sed Contractum, ut *πέρα pro πέραε*, Ἀ'Θηνᾶ *pro* Ἀ'Θηνάα, *&c.*

Nomina Paroxytona Secundæ Declinationis Simplicium *finita in Alpha* Purum, *& in* δα, θα, *&* ρα, *excepto* μία, δία, Σάῤῥα, *&* τανάγρα, *quæ*, *scilicet*, *desinunt in Alpha* Purum, *& in* ρα, *& nihilominus Alpha in* fine *corripiunt*.

Nomina Secundæ Declinationis Simplicium *similiter* Oxytona, *excepto* παιδιὰ, *quùm* ludum *Latinè significat*, *quod quidem* Nomen *est* Oxytonum Secundæ Declinationis Simplicium, *& tamen corripitur in* ultimâ Syllabâ.

Item Vocativus singularis Primæ Declinationis Simplicium in Alpha *à* Nominativo *in* ας, *ut* ὦ Αἰνεία, *&c.*

Vocativus singularis Quintæ Declinationis Simplicium *in Alpha*, ut λαοδάμα, *more Poëtico pro* λαοδάμαν; *solent enim Poëtæ ex huiusmodi* Vocativis ὦ λαοδάμαν, ὦ θόαν, ὦ Κάλχαν Litteram ν' *abiicere*.

Genitivus Doricus: *ut* τοῦ Αἰνεία, *pro* τοῦ Αἰνείου.

Accusativus Atticus *à* Nominativo *in* εὺς, *idest*, Tertiæ Declinationis Nominum Contractorum, *ut* βασιλέα, *à* Genitivo βασιλέως.

Dualia *in Alpha*, *ut* τὼ, *&* ὦ Αἰνεία, τὰ *&* ὦ τιμὰ, *quæ profluunt à* Nominibus *cùm* Primæ, *tum* Secundæ Declinationis Simplicium, *citra quæ*, Dualia *desinentia in Alpha nulla sunt*.

ADDITAMENTA.

I. Quùm dicitur *Græcæ Dictiones omnes*, comprehenduntur etiam *Verba*, quæ desinunt in Alpha, ut ἔτυψα, &c. nec posito, quòd desinant in Alpha *Purum*, vel in ρα, &c. producenda sunt in *ultimâ* perinde ac de *Nominibus* dictum est; hinc δέδια, πέπορα, διέφθορα corripiuntur in *fine*, ubi Alpha reperitur.

II. Ad *Nomina* desinentia in Alpha *Purum*, quæ hoc ipsum

ipſum Alpha producere iam prædixi, obſervatione digna eſt, quam addidi, *vox Paroxytona*. Etenim permulta obvia ſunt *Nomina*, quæ deſinunt in Alpha *Purum Breve*, quorum *Proſodia* in *ultimâ Syllabâ* agnoſci nequit, niſi habito ad *Accentum* reſpectu. Non erit abs re, ſi præcipuos, ex quibus iſtiuſmodi *Nomina* ſcaturiunt, fontes in Tironum gratiam excitabo. Sunt autem:

1. *Verbalia* in τρια, ut ψάλτρια, &c.

2. Quæ manant ab *Adiectivis* in ης, ut, ἀλήθεια, &c. hæc enim ſequuntur *Genitivi Analogiam* τῦ ϗ τῆς ἀληθέος; & è converſò ἡ δικαία cum aliis, quæ Alpha *Purum* producunt, ſequitur *Genitivi Analogiam* τῦ δικαίυ, &c.

3. *Feminina* ἱέρεια, ἀγγελίεια, &c.

4. *Nomina* urbium, quæ à Viris inluſtribus adpellationem habent, ut Α'ντιόχεια, Κώδεια, &c. cum Βατίεια, de quo confer *Hom. Il.* β', *v.* 320.

Sed ne unum quidem ex his ad nos venit *Paroxytonum*; omnia ſunt *Proparoxytona*; adeò verum eſt, ut *Nomina* deſinentia in Alpha *Purum*, ut ſint *Longa* in *ultimâ Syllabâ*, ſimul eſſe debeant *Paroxytona*.

III. *Nomina* quoque *Secundæ Declinationis Simplicium* finita in δα, θα, ρα, ad hoc, ut producantur in *ultimâ Syllabâ*, *Paroxytona* ſint oportet. Hinc ἄκανθα, γέφυρα, ὄλυρα, Κόρκυρα, &c. *Proparoxytona*, non producuntur, ſed corripi omnino debent *Syllabâ* in *ultimâ*.

IV. Ceterùm, *Nomina* eiuſdem *Secundæ Declinationis Simplicium*, quæ ante Alpha, ut bene animadvertit *Vir Doctus Iacobus Gretſerus*, *De Quantit. Ancipit. in ult. Syll. Cap. XXVI. num. II*; geminum habent *Sigma*, aut unam *Duplicem*, interdum etiam duas *Conſonantes*, ut id obiter notem, corripiunt *ultimam*, ut ὕσσα, λύσσα, δόξα, φύζα, δίψα, τόλμα, &c. licèt egrediantur *Paroxytona*.

V. Hic inſuper notandum ad verba Interpretationis

 Ac-

= *Accuſativus Atticus* à *Nominativo* in εὺς =, quod iſte *Accuſativus* ſequitur *Analogiam Genitivi* in Linguâ tum *Atticâ*, tum *Ionicâ*; Sed quia in *Atticâ ultima Genitivi Longa* eſt, ita in *Atticâ ultima Accuſativi Longa* ſemper erit. Sic *Accuſativi Attici* Θησέα, Πηλέα, βασιλέα, ἱερέα, &c. producunt *ultimam*, quia eandem *ultimam* producunt eorum *Genitivi* τȣ̃ Θησέως, Πηλέως, βασιλέως, ἱερέως, &c. Θησῆα verò, Πηλῆα, βασιλῆα, ἱερῆα, &c. *Accuſativi Ionici ultimam* corripiunt, quia eorum pariter *Genitivi* Θησῆος, Πηλῆος, βασιλῆος, ἱερῆος *ultimam* corripiunt. Quod ſi aliquando Θησῆα, Πηλῆα, &c. producantur in *ultimâ*, vel ita producta penes Scriptores occurrant, *Cæſurâ* id factum eſſe tenendum eſt, ut ſequens nos docet *Homeri* locus ad *vocem* Περσῆα,.

Ἡ̃ τέκε Περσῆα πάντων ἀριδείκετον ἀνδρῶν. *Il.* ξ', *v.* 320.

EXEMPLA.

(1)

Σαυρὠς δ' ἐκτὸς ἔλασσε διαμπερὲς ἔνθα καὶ ἔνθα. *Hom. Odyſſ.* ξ', *v.* 11.

(2)

Δὸς δ' ἰȣ̃ς καὶ τόξα. ἔα πάτερ· ȣ̓ σε φαρέτρην, *Callim. Hym. in Dian. v.* 8.

(3)

Ναυσικάα, τί νυ σ' ὧδε μεθήμονα γείνατο μήτηρ. *Hom. Odyſſ.* ζ', *v.* 25.

(4)

Ἴδαν ἐς πολύδενδρον ἀνὴρ ὑλητόμος ἐλθών. *Theoc. Idyll.* 17. *v.* 9.

(5)

Κῆφ' ὅτι Σιμαίθα τὺ καλεῖ, καὶ ὑφάγεο τᾷδε. *Theoc. Idyll.* 2. *v.* 101.

(6)

Ἦ δε Βίαντα πέτρα, κόσμον Ἴωσι μέγαν. *Laert. in vitâ Biantis.*

(7)

Τὰν δὲ γυνὰ βαρύθυμος ἀμείβετο δακρυχέȣσα. *Call. Hym. in Cer. v.* 81.

(8)

Αἰνεία Τρώων βȣληφόρε χαλκοχιτώνων. *Hom. Il.* ἑ, *v.* 180.

(9)

Πȣλυδάμα, σὺ μὲν ȣ̓κ ἔτ' ἐμοὶ φίλα ταῦτ' ἀγορεύεις. *Hom. Il.* μ', *v.* 231.

(10)

Ἀ μῖν τῶ Βρασίλα κατεφαίνετο καὶ τιν' ὁδίταν. *Theoc. Idyll.* 7. *v.* 11.

Ai-

(11)
Αἰδεῖσθαι θ' ἱερῆα, κ̀ ἀγλαὰ δέχθαι ἄποινα. *Hom. Il.* ά, ν. 377.
(12)
Ἀτρείδα δὲ μάλιστα, δύω κοσμήτορε λαῶν. *Hom. Il.* ά, ν. 375.

OBSERVATIONES.

(1) Ἔνθα cum Alpha *Brevi*. Nec solùm in *Adverbiis* Alpha in *fine* corripitur, sed etiam in *Præpositionibus*, in *Verbis*, in *Coniunctionibus*, & in *Nominibus* exceptione non laborantibus, quæ in hoc *Præcepto* indicantur, ἔτυψα, παρὰ, ἦλθα, ἀλλὰ, ἱέρεια, &c. quorum exempla quùm in singulis ferè Poëtarum paginis occurrant, ne parva quidem temporis particula in iis recensendis, adferendisque terenda est.

(2) Ἔα. Eò respicit hoc exemplum, ut Alpha *ultimæ Syllabæ*, quod, ut omnes norint, *Contractum* est, pro ἔαε, *Longum* esse palam fiat. Animadvertendum tamen hic est, quod, si post Alpha in *fine Contractum*, *Dictio* sequatur à *Vocali* incipiens, rectè hoc ipsum Alpha corripitur. En exempla:

Ὑμετέρας ἐφύλαξα· πέρα, πέρα εἰς ἐμὲ Λητοῖ. *Call. Hym. in Del. v.* 203.

Αὖδα, ὅ, τι φρονέεις· τελέσαι δέ με θυμὸς ἀνώγει. *Hom. Odyss.* έ, *v.* 89.

In *priore* occurrit τὸ πέρα ante εἰς, in *posteriore* verò τὸ αὖδα ante ὅ, scilicet Alpha in *fine Contractum Breve*, quia ante *Dictionem* à *Vocali*, ut mox dicebam, incipientem. Porro τὸ αὖδα, & τὸ πέρα, quod sint in *ultimâ Syllabâ Contractæ voces*, pro αὔδαε, πέραε, res adeò pervulgata est, ut à nemine in dubium vocari possit.

(3) Ναυσικάα. Habet hoc Nomen Alpha in *fine Longum*, quippe quod ad *Secundam Declinationem Simplicium* adtinet, & in *penultimâ* præfert *Accentum Acutum*, quæ duo iam, ut diximus, requiruntur, ut *Nomina* ista suum

Alpha in *fine* producant. Contra verò omnia *Nomina*, quæ eandem *Secundam* fequuntur, & *Proparoxytona* funt, neceffariò Alpha in *ultimâ Syllabâ* debent corripere; ut ψάλτρια, ἀλήθεια, ἱέρεια, ἀγγελία, βασίλεια = Regina = (nam βασιλεία = Regnum = cum *Acuto* in *penultimâ* Alpha in *fine* producit), Ἀντιόχεια, λαικάστρεια, &c. Etenim fupra ad *Præceptum IV. De Accentu* huius *Sect. Cap. I.* obfervatum eft; *Accentum Acutum* ftare non poffe in *antepenultimâ*, nifi fi quando *Syllaba ultima Brevis* eft.

(4) Ἴδαν *Accusativus* à *Nominativo* Ἴδα. Ἴδαν ultimam producit & fimiliter Ἴδα; aliàs Ἴδα cum ι *Longo*, & Alpha in *fine Brevi*, non *Accentu Acuto*, fed *Circumflexo*, fic, Ἶδα *vox* pingenda effet. Exinde confequens eft, ut omnia *Nomina* finita in δᾶ produci debeant in *ultimâ Syllabâ*, Βασιλίνδα, Λήδα, &c. Certè *Nominativi* exemplum, quod ad hunc locum adferam, mihi non fuppetit, idcirco *Accufativo Cafu* ufus fum; fed perinde eft; nam *Accufativus* ifte fequitur *Analogiam Nominativi* non folùm quùm *ultima* eiufdem *Longa* eft, verùm etiam quùm *Brevis*, ut infra patebit ex *Præcepto II. De* Αν *in fine*; & liquet etiam ex *Nominativo* μοῦσα, & *Accufativo* μοῦσαν, *Vocibus Properifpomenis*, *ultimam*, nempe, *Brevem* præferentibus.

(5) Σιμαίθα *Nomen*, quod definit in θᾶ, & ad *Secundam Declinationem Simplicium* adtinet; idcirco producitur in *ultimâ Syllabâ*, nempe, in θᾶ, cum fimilibus.

(6) Πέτρα, &c. definit in ρᾶ *Longum*. Rem meliùs elucidant *Nomina* φαίδρα, λαύρα, σταύρα, αὔρα, &c. quæ nifi producta effent in *ultimâ Syllabâ*, *Accentu Acuto* in *penultimâ* minimè notata fuiffent, fed opus haberent *Circumflexo*.

(7) Γυνὰ fimiliter *ultimâ Longâ* effertur; *vox* enim *Oxytona* eft. Sic κορυφά, ut mittam innumera apud Poëtas obvia, producitur in *ultimâ Syllabâ* apud *Callimachum*

machum in *Lavac. Palladis v*, 135; & similia.

Ἀλλὰ Διὸς κορυφᾶ. κορυφᾶ Διὸς ᾧ κ' ἐπινεύσῃ.

(8) Αἰνεία *Vocativus Primæ Declinationis Simplicium* à *Nominativo* in ας desinente profluens, quæ profectò ratio est, cur istud ᾶ in *fine* produci debet. Eadem *Prosodia* semper observanda est in similibus.

(9) Πολυδάμα *Vocativus* hic quoque *Casus* est, sed more Poëtico, pro Πολυδάμαν, quomodo & scribi deberet, si ad communis *Dialecti Regulas* exigeretur. Etenim *Nomina*, quæ in *Genitivo* declinantur per ντος, ablato τος *Genitivi*, *Vocativum* formant. Itaque Græci Poëtæ, ut suos faciant hosce vocandi *Casus*, *Litteram* ν, ante τος, *Genitivi* iterum auferunt, & quod inde superest, *Vocativum* Poëticum parit. Videas Adnotata *Iacobi Gretseri super Vocativ. Quin. Simpl. Decl. Cap. IV. num. III. Edit. Romæ* 1608; *pag.* 93; ubi & illud obiter observatur, quod Latini Poëtæ Græcos ex amussim imitati, dixerunt, o Calcha, o Laodama, o Palla, &c. *Vocali* ᾶ in *fine*, Græcorum more, semper productâ.

(10) Βρασίλα τῶ in *Linguâ Doricâ* pro τοῦ βρασίλου, *Diphthongo* ου in ᾶ utique conversâ. Porro istud ᾶ *Longum* est, quia sequitur *Analogiam Diphthongi* ου, cuius vicem gerit. Sic τῶ Ὕλα, pro τοῦ Ὕλου apud *Theocritum Idyll. XIII. v.* 7; producitur in *ultimâ Syllabâ*, &c.

(11) Ἱερέα *Accusativus Atticus* habet Alpha in *fine* productum. Sequitur enim *Accusativus* iste in *ultimâ Syllabâ Analogiam Genitivi Attici* ἱερέως, à quo derivatur. Confer *Addit.* in hoc *Præceptum* ad *num. V.* Notandæ *Vocales* εα in ἱερέα, & similibus, quæ per συνίζησιν semper in unam coälescunt.

(12) Ἀτρείδα *vox Dualis* in *ultimâ Syllabâ* producta. Perinde τὰ μέσσα, τὰ κόλλα, &c. cum *Compositis* suum Alpha in *fine* producunt, quod & exemplis probari posset aliis, nisi res ex adducto esset conspicua, & multoties etiam ex *Accentu* nota.

Exem-

Exempla quinque *Nominum* Alpha *Breve* in *ultimâ Syllabâ* præferentium, quæ supra in *Præceptum*, ex Prosodiographorum Adnotatis hausta, convexi, ac *Parenthesi* interserui, nimirum, μία, δία, Σάῤῥα, τανάγρα, & παιδιὰ, profectò non moror. Ratio huius hæc est, quod tria *posteriora* parum sunt in usu, adeò ut in *Nominativo Casu*, quem ad hunc locum referrem, prout opus esset, vix reperiantur; duo autem *priora* possunt in Veterum Poëtarum Scriptis haud difficulter adinveniri.



PRÆ-

PRÆCEPTVM II.um

De αν *in Fine.*

ADditur αν *Curtis*. *Quintæ* sed Mascula produc,
Αν quibus in *Recto* est finis, *Casuque* vocandi.
Produc & *Quartum Primæ*, *Quartumque Secundæ*,
Huius quandoquidem producta est *ultima Recti*.
Sic, ὅταν excepto, produc *Præverbia* cum πᾶν,
Sed *Brevibus* σύμπαν, fratresque iugare memento.

INTERPRETATIO.

AN in *fine* corripitur. *Producuntur* Nomina *Masculina* V.æ Declinationis *desinentia in* αν *cùm in* Nominativo, *tum in* Vocativo.

Item Accusativi I.æ Declinationis Simplicium & II;æ *dummodo*, *quæ sic inflectuntur* II;æ Nomina *habeant Alpha in* fine Nominativi Longum.

Item Adverbia, *excepto* ὅταν, *quod quidem in* fine *corripitur*, *unà cum* πᾶν, *quamvis* σύμπαν, *& alia*, *à* simplici πᾶν *exorta*, *corripiantur*.

ADDITAMENTA.

I. Non tam de *Nominibus*, quàm de *Verborum Personis* in αν desinentibus intelligenda est *Regula* ad hæc verba = Additur αν *Curtis* =. Quare αν in *fine* corripit ἔτυψαν, &c.

II. *Vo-*

II. *Vocativus* τάλαν *V;ᵃ Declinationis Simplicium* in *fine* corripitur. Exinde rectè *Callimachus Epig.* XXXII. *v.* 1;

Θεσσαλικὲ Κλεόνικε τάλαν, τάλαν; ὐ μὰ τὸν ὀξὺν.

Nec mirum videri debet; eius enim *Nominativus* est τάλας, non τάλαν, in Masculino genere; propterea in *Præcepto vox* = Mascula = addita est. Quâcum, ecquis *ultimam vocis* τάλαν generis neutrius in *Nominativo*, *Accusativo*, & *Vocativo singulari Brevem* esse iure dubitabit?

III. Quod supra monui de *Accusativis* I.ᵃ *Declinationis Simplicium*, id unicè refertur ad eos, qui manant à *Nominativis* in ας, quique in αν desinunt. Quod autem in hisce *Accusativis finis* αν *Longus* perpetuò sit, collige primùm ex *Nominativis*, qui seu desinant in ας *Purum*, *Impurumve*, uti in *Præcepto De* Ας *in fine* ostendam, semper producantur oportet in *ultimâ Syllabâ*; deinde ex *Analogiæ* legibus, ad quas Græcorum *Nominum Prosodia* omnino exigenda est. Porro *Analogiæ* lex est, ut *Longa Syllaba* in *fine Nominativi* non crescentis in *Genitivo*, in *Casibus* etiam reliquis *Longa* itidem permaneat.

IV. *Analogiæ* quoque legibus innititur *Accusativorum* II.ᵃ *Declinationis Simplicium Prosodia* in iis *Nominibus*, quæ in *Nominativo* desinunt in ά. Etenim, si istud ά in *Nominativo Longum* sit, *Longum* perinde erit in reliquis *Casibus*; si *Breve*, præter quàm quod in *Casibus*, qui inflexionis vi *Longam Syllabam* in *fine* postulant, ut μύσῃ, γεφύρᾳ, γεφυρῶν, &c. vel *Præcepto*, ut τὰ μύσα, τὰ γεφύρα, &c., *Breve* erit.

V. Si πᾶν corripiatur, quod certè factum vix reperitur, sanum non est, nec ullo, quantùm scio, potest Alexipharmaco curari.

VI. Contra quod supra dictum est = *Adverbia* in αν finita, præter ὅταν, *ultimam* producere = Sic, ὅταν excepto, produc *Præverbia* = facit *Eustathii* sententia ad *vocem* πάμπαν *Odyss.* β', *v.* 49; hæc adnotantis = ὅρα κὴ τὸ πάμ-

πάμπαν συςαλὲν , ὡς τὸ ἄγαν ϰ̀ λίαν =, ideſt, *vide etiam vocem πάμπαν correptam, ſicut Adverbium ἄγαν & λίαν.* Verùm quantùm ad *ἄγαν* adtinet, *Adverbium* hoc in *ultimâ Syllabâ* producit *Callimachus* in *Epigramm.* 47, ad hunc *Ver.* qui eſt 2,

Οὐ καλὸν αὐτὸν ἔφαν, ὐ γὰρ ἄγαν ἐδόκει·

Et *Sophocles* in *Aiac. Flagel.*

Σὺ δ' ὐχὶ πείσῃ; πόλλ' ἄγαν ἤδη θροεῖς·

ubi *ultima vocis ἄγαν Cæſuram* non patitur, ut in ſuperiori exemplo *Callimachi*.

Nec ullum teſtimonium, in quò eadem *Syllaba* corripiatur, proferre poſſum. Quùm autem pro *λίαν* ferè ſemper uſurpetur *λίην*, maximè verò ab *Homero*, qui *Dialecto Ionico-Poëticâ* uſus eſt, & *Regula* ſit, ut Alpha *Breve* nunquam in Ita *Ionicum* migret, ex hâc ſatis probabili coniecturâ colligo, *ultimam* quoque *Adverbii λίαν Longam* eſſe, nec eam poſſe correptam, niſi mendoſè, quantùm auguror, uſurpari.

EXEMPLA.

(1)

Α'λλὰ ϰ̀ ὐρῆας μεγάλαν ὑπέλυσαν ἁμαξᾶν. *Call. Hym. in Cer. v.* 108.

(2)

Τίπτε κατ' οἰόβατον Πὰν ἄγροτα δάσκιον ὕλαν, *In Antholog. Lib.* 4.

(3)

Οὒς ποτ' ἀπ' Αἰνείαν ἐλόμην μήςωρα φόβοιο. *Hom. Il.* θ', *v.* 108.

(4)

Α'ρτμὸν δ' ἀμφοτέροις ϰ̀ φιλίαν ἔταμον. *Spanhem. Frag. Miſce. ad Call. XI. v.* 1.

(5)

Α'λλ' ὐ μὰν ὑμῖν γε ϰ̀ ἅρμασι δαιδαλέοισιν. *Hom. Il.* ρ', *v.* 448.

(6)

Ω'ς δ' ὅταν ὠδίνυσαν ἔχῃ βέλος ὀξὺ γυναῖκα. *Hom. Il.* λ', *v.* 269.

(7)

Η'νίδε κεῖνοι σοὶ πᾶν ἐρέοισιν ἔπος. *Callimach. Epig.* 1. *v.* 8.

(8)

Τῶν δ' ἅπαν ἐπλήσθη πεδίον, ϰ̀ ἐλάμπετο χαλκῷ. *Hom. Il.* ύ, *v.* 156.

(1) Ὑπέλυσαν *Aoristi I.*mi 3.tia *Person. num. plur.* cum αν in *fine Brevi*. Videas etiam in *Nominibus* eandem *Prosodiam*:

Ὦ Θόαν ὅτις ἀνὴρ νῦν γ' αἴτιος, ὅσσον ἔγωγε. *Hom. Il.* ν', *v.* 222;

Αἶαν ἐπεί τις νῶϊ θεῶν οἳ ὄλυμπον ἔχουσι. *Hom. Il.* ν', *v.* 68.

Utrunque *Nomen* Θόαν, & Αἶαν à *Nominativis* Θόας & Αἴας, αν in *fine* corripit, & *Regulæ* congruit = Additur αν *Curtis* =. Perinde erit in quibusvis aliis *Verborum Personis*, & *Nominibus* in αν finitis, exceptionibus, de quibus infra, non laborantibus.

(2) Πᾶν *Vocativus* habet αν *Longum*, quia in *Nominativo* etiam dicitur Πᾶν; & ideo produci debet. Quòd autem hoc *Nomen* generis sit masculini, probant Lexicographi, apud quos legere est, sic, ὁ Πάν. *Nomina* quoque alia, quæ cum Πᾶν sunt ὁμοιόπτοτα, & ὁμοιογενέα, sive *Monosyllaba*, sive *Polysyllaba* ea sint, αν in *fine* semper producunt.

(3) Αἰνείαν *Accusativus Declinationis I.*mæ *Simplicium* à *Nominativo* in ας derivatus. Inflexio est ὁ Αἰνείας, τοῦ Αἰνείου. Atque hoc facit, ut *Accusativus* iste, sicut & ceteri eiusdem formæ omnes, in *ultimâ Syllabâ Longi* efferantur.

(4) Φιλίαν *Accusativus Declinationis II.*æ *Simplicium* productâ, ut par est, *ultimâ Syllabâ*. Illud autem quod, ut hæc *Prosodia* stet, exigitur, certè est, ut Alpha *Longum* sit in *Nominativi* φιλία *ultimâ Syllabâ*, quod tamen ex superiori *Præcepto I. De Alpha in fine* abundè liquet.

(5) Μὰν productum, quia est *Adverbium*, & desinit in αν. Sic εὐὰν, πέραν, &c. *Longa* sunt in *ultimâ Syllabâ*.

(6) Ὅταν

(6) Ὅταν *Adverbium ultimam* corripit. Similem præfert in *ultimâ* quantitatem *Adverbium* ὁππόταν apud *Callimachum*,

Ὁππόταν οὐκ ἐθέλων περ ἴδῃ χαρίεντα λόετρα. *In Lavac. Pall. v.* 113.

(7) Πᾶν *Nomen Adiectivum* generis neutrius *Longum*, quod & nullâ potest ante *Vocalem* licentiâ corripi, ut supra dictum est in *Additam.* ad hoc *Præceptum num. V.* Ceterùm πᾶς *Longum* esse etiam ex *Accentu* planè constat.

(8) Ἅπαν *ultimâ Brevi*. *Vox* ista *Composita* est ex ἅμα & πᾶν. Exinde patet, quod adstruit *Præceptum*, nimirum, *simplex* πᾶν *Longum* esse, *Compositum* verò *Breve*. Neque id solummodo verum est, quùm ἅπαν, σύμπαν, πάμπαν, &c. *Nominis Adiectivi* Neutralis vicem obeunt, sed etiam quùm *adverbialiter* posita sunt. Ex innumeris, quæ huc convehere certè possem ad hoc probandum, exemplis, unum in medium adfero:

Λαοὶ δ' οὐκ ἔτι πάμπαν ἐφ' ἡμῖν ἦρα φέρουσιν. *Hom. Odyss.* π', *v.* 375.

Ab hâc *Prosodiâ* semel discessisse videtur *Theocritus* in sequenti *Versiculo*,

Βάλλετο δ' ἀκτίνεσσιν ἅπαν Ἀμύκοιο πρόσωπον. *Idyll.* 23. *v.* 86;

ubi *ultima vocis* ἅπαν *Longa*. Verùm quicunque locum adtentè versabit, continuò intelliget, *Brevem Syllabam* ibi, vi *Cæsuræ*, productam esse; quod & alibi factum fortasse occurret, & fieri etiam sine errore idoneâ datâ occasione posse, non negarem.



PRÆCEPTVM III.um

De αρ *in Fine.*

Αρ rape; γὰρ demto, *Monoſyllaba* cetera produc.

INTERPRETATIO.

Αρ *in* fine *corripitur; producitur verò in omnibus* Monoſyllabis, *unicâ exceptâ* Coniunctione γὰρ, *quæ ſemper ante* Vocalem *ſequentis* Dictionis corripitur.

ADDITAMENTA.

I. Ad hoc *Præceptum*, ſeu potiùs, quantùm id reſpicit, quod ibidem de *Coniunctione Cauſali* γὰρ corripiendâ ſancitum eſt, quidam volunt animadverſum, ante dictam *Coniunctionem* à Græcis Poëtis aliquando productam eſſe ante *Vocalem*. Hoc autem non credo, niſi fortè, quùm iſta *Coniunctio* ante *Vocalem* initium ſequentis *Dictionis*, *Cæſuram* patitur, ut in hoc *Verſu*:

Ι'λίῳ αἰπεινῆς· μάλα γὰρ ἔθεν εὐρύοπα Ζεύς. Hom. Il. ι, ν. 682.

II. Si per *Apoſtrophum* ex aliquâ *Dictione Diſſyllabâ* abiiciatur *Vocalis*, vel *Diphthongus*, ac proinde remaneat *Dictio Monoſyllaba*, & quidem in αρ finita, hæc proculdubio inter *Monoſyllabas*, quas ex hoc *Præcepto* producere opus ſit, numeranda non eſt, ſed corripi omnino debet, haud aliter, quàm in ſequenti *Verſu Homerus* corripit ἄρ' pro ἄρα:

Οἱ δ' ὡς ὖν εἶδον ὅτ' ἄρ' ἐκ Διὸς ἤλυθεν ὄρνις. Il. θ', ν. 251.

III. Simi-

III. Similiter παρ' *Dorico* more pro παρὰ, licèt *Monosyllabon*, corripitur;

Θὴρ ἄμοτος· μακρὴν δὲ πὰρ' ἰγνύῃσιν ἕλιξε. *Theocr. Idyll.* 26. *v.* 242.

EXEMPLA.

(1)
Οὐδέ τέ σε Τρώεσσιν ὀΐομαι ἄλκαρ ἔσεσθαι. *Hom. Il.* ἑ, *v.* 644.

(2)
Εἰ δὲ δοῦλός ἐστι καὶ Κὰρ, ὥσπερ Ἐξηκεστίδης. *Aristoph. in Av.* *v.* 765.

(3)
Πουλυδάμας· καὶ τοῦ μὲν ἀπήμβροτεν· οὐ γὰρ Ἀπόλλων. *Hom. Il.* ὀ, *v.* 521.

OBSERVATIONES.

(1) Ἄλκαρ correptâ *ultimâ*. Ratio hæc est, quod *Dictiones* omnes *Polyssyllabicæ* desinentes in αρ hunc ipsum *finem* corripiunt.

(2) Κὰρ *Longam* efficit *Syllabam*. Etenim = καὶ Κὰρ = *Spondæus* est, qui in *Trochaico Carmine Aristophanis parem regionem* occupat. Confer ea, quæ supra in *Sect. I.mâ De Carmine Trochaico*, dicta sunt. Minùs tamen in hisce *Carminibus* exercitatis Tironibus, certè iuvabit animadvertere, quòd ex *Nominativo* Κὰρ *Longum Incrementum* promanat, ut hinc Κὰρ *Longum* esse inferatur. Videas *Præceptum* X. huius *Sect. Cap. I. De Alpha Increm. V.ª Declin.* in *Additam. III.*, & in Exemplis.

(3) Γὰρ *Syllaba Brevis* est, quomodo & esse debet, ut huius *vocis Monosyllabicæ Prosodia Præcepto* consentanea inveniatur.



PRÆ-

PRÆCEPTVM IV.um

De Aς *in Fine.*

AΣ brevia. Produc *Recti* crescentis in *αντος*
Aς *finem*, *Rectum Primæ*, *Casusque Quaternos*
Huius *plurali* in *numero*, similesque *Secundæ*,
Demtis *Æolicis*; *Patrium* simul adde *Secundæ*
Longis, quandoquidem *Recti* produxeris Alpha
Syllabâ in *extremâ*, nec non *Pronomina Casu*
In *Quarto* pluris quæcunque *Ionia* promit.

INTERPRETATIO.

Dictiones *omnes in ας desinentes debes in* fine *corripere ex generali lege* = Aς brevia =, *à quâ tamen excipies*, *idest*, *produces*

Aς Nominativi, *cuius* Genitivus *exit in αντος*,

Aς Nominativi Primæ Declinationis Simplicium,

Aς Accusativorum pluralium *cùm* Primæ, *tum* Secundæ Declinationis *pariter* Simplicium, (*sed in Linguâ* Æolicâ *corripies*),

Aς Genitivi Secundæ Declinationis Simplicium, *dummodo* Nominativus, *à quo manat iste* Genitivus, *desierit* in *Alpha* Longum,

Aς Accusativorum pluralium *ex* Pronominibus Ionicâ Dialecto *expressis*.

ADDITAMENTA.

I. *Participia* in *ας* finita, tametsi *Genitivum* habeant desinentem in *αντος*, aliquando corripiuntur, sed rarò,

rò, & producta constanter laudantur. Correpta proculdubio ad *Æolicam Dialectum* pertinebunt.

II. *Nominativus Primæ Declinationis Simplicium* in ας desinens *Longus* est, ut supra monuimus, in *ultimâ Syllabâ*; Volunt tamen *Prosodiæ* Scriptores nonnulli, id verum esse in *Nominibus* tantùm in ας *Purum* finitis, sed in aliis constanter negant. Sic aqua pro ipsis hæret, donec aliquod exemplum in medium adferant. Profectò, nisi ubique locus sit *Cæsuræ*, quæ *Brevem Syllabam*, ut sæpius dixi, *Longam* facit, *Nomina Primæ Declinationis Simplicium* in ας etiam *Impurum* finita nusquam adhuc breviata *Syllabâ* in *ultimâ*, sed semper apud Græcos Poëtas producta repperi. Quare pueris tutius erit, à *Præcepto* non discedere.

III. *Genitivorum Secundæ Declinationis Simplicium* in ας desinentium *Prosodia* ad *Analogiæ Regulas* omnino exigenda erit. Ex Alpha enim *Nominativi Longo*, vel *Brevi*, *Longum* erit vel *Breve* ας *Genitivi*. Istud autem rescire poteris, si *Præceptum I. De Alpha in Fine*, huius *Sect. Cap. II.*, consulas, absque eo quòd semel dicta, denuo hic loci repetantur.

IV. *Plurales Accusativi Ionici* ἡμέας, ὑμέας, σφέας non corripiuntur in *ultimâ Syllabâ*, ut quibusdam perperam visum est, sed producuntur. Ratio, quam ipsi non adtigerunt, est, quòd ante dicti *Accusativi* non *Dactylum*, sed *Spondæum* factâ *Synæresi* efformant. Verùm ad hoc clarè conspiciendum, infra in *Observationibus* affatim exemplorum coacervabo.

V. Mitto *Accusativos Plurales* horum *Pronominum Primitivorum Communi Dialecto* expressos, quorum quantitas ex *Accentu*, qui *ultimam* in ipsis adficit *Syllabam*, *Circumflexo*, fieri non potest liquidior; observabo tamen & ipsos quandoque penes Græcos Poëtas, (quos imitari Tirones idoneâ datâ occasione poterunt), obvios esse *Breves* in *ultimâ*. Hinc *Homerus*,

Τηλε-

Τηλεμάχῳ· μηδ᾽ ἧμας ὑπεκφύγοι· ὐ γὰρ ὀΐω, *Odyss.* π′, *v.* 372;

correptâ, ſcilicet, *ultimâ vocis* ἧμας, de quâ hîc agimus, & *Accentu Circumflexo* ad *Syllabam* præcedentem retracto, qui etiam in *Gravem* ſcribendo ἡμὰς rectè mutari poterit, pro ſcribentis Græca *Carmina* arbitrio.

EXEMPLA.

(1)
Κείμενον ἐν πεδίῳ ἑκὰς Α῎ργεος· ὐδέ κε τίς μιν. *Hom. Odyss.* γ′, *v.* 260.

(2)
Η῎κεν νοςήσας ἀποτίσεται, ἠὲ ϗ ὐκί. *Hom. Odyss.* ά, *v.* 268.

(3)
Αἰνείας, υἱὸς μεγαλήτορος Α᾽γχίσαο. *Hom. Il.* έ, *v.* 468.

(4)
Καὶ γὰρ Τρῶας φασὶ μαχητὰς ἔμμεναι ἄνδρας. *Hom. Odyss.* σ′, *v.* 260.

(5)
Α῎λγεα πάσχυσιν, κορυφὰς ὀρέων ἐφέποντες. *Hom. Odyss.* ί, *v.* 121.

(6)
Στέργετε δ᾽ ὔμμες αἶτας· ὁ γὰρ θεὸς εἶδε δικάζειν. *Theocr. Idyll.* 24, *v.* 63.

(7)
Οὐ τήνα γ᾽ ὐ Νύμφας· ἐπεὶ ποτὶ Πῖσαν ἀφέρπων. *Theocr. Idyll.* 4, *v.* 29.

(8)
Αὐλᾶς ἐξ ἰδίας ἠρτημένον· ὐδ᾽ ἐτυλίχθη. *Theocr. Idyll.* 24. *v.* 54.

(9)
Α᾽λλ᾽ ἤτοι ἐπὶ νυκτὶ φυλάξομεν ἡμέας αὐτύς. *Hom. Il.* θ′, *v.* 529.

OBSERVATIONES.

(1) Ε῾κὰς *Adverbium ultimam* corripit ex *Præcepti* verbis = Ας brevia =. Perinde in aliis quibuſvis *Adverbiis* in ας deſinentibus *ultima* corripienda eſt. His accedunt *Nomina* Feminina, ut ἡ λαμπὰς; item Maſculina, ut ὁ μέγας, ὁ τάλας, ὁ λᾶας, &c. *Accuſativi plurales Quintæ Declinationis Simplicium*, & omnium *Contractorum* in ας deſi-

desinentes; item *secundæ Personæ sing. Aoristi* I. *mi Act.*, uti apud *Callimachum Hym.* in *Dian. v.* 230;

Μείλιον ἀπλοΐης, ὅτε οἱ κατέδησας ἀήτας·

& apud alios passim; *secundæ Personæ sing. Perfecti* cùm *Activi*, tum *Medii*, ut τέτυφας, τέτυπας, εἶκας, &c. *Accusativi Æolici* ὔμμας, ἄμμας; in quibus omnibus ας in *fine* ante *Vocalem* sequentis *Dictionis* semper corripitur.

(2) Νοςήσας *Nominativus*, à quo *Genitivus* oritur νοςήσαντος, idcirco producitur in *ultimâ Syllabâ*. Nec ob aliam rationem *ultima vocis* ἔμπας apud *Theocritum* producta est in sequenti *Versu*, qui est 29, *Idyll.* X.

Α'λλ' ἔμπας ἐν τοῖς ςεφάνοις τὰ πρῶτα λέγονται.

(3) Αἰνείας *ultimâ Longâ*, quia *Nominativus* est *Primæ Declinationis Simplicium* in ας desinens. Sic ἑρμείας *ultimâ* effertur *Longâ* apud *Aratum* in *Phænom. v.* 269.

(4) Μαχητὰς *Accusativus plur. Primæ Declinationis Simplicium Longus*, ut vides, est in *ultimâ*. Perinde erit in similibus.

(5) Κορυφὰς *ultimâ Longâ*, quia *Accusativus plur. Secundæ Declinationis Simplicium*.

(6) Α'ήτας *Accusativus plur. Primæ Declinationis Simplicium*; sed quia *Æolicus*, idcirco in *ultimâ* correptus est *Syllabâ*. *Æolicæ* enim *Dialecti* proprium, ᾱ *Longum pluralis*, mutare in ᾰ *Breve*.

(7) Νύμφας *Accusativus plur. Secundæ Declinationis Simplicium Æolicus Brevis* in *ultimâ*; id enim indicabatur signanter per verba = demtis Æolicis =. Nota hoc in loco *Accusativos* omnes plurales cùm *Primæ*, tum *Secundæ Declinationis Simplicium* Scriptores omnes, qui (α) *Doricâ Dialecto* usi sunt & consequenter cum *Doricis* lepores *Æolicos* iunxerunt, in *ultimâ Syl-*

G g *labâ*

(α) Quousque pueris *Doricè* & *Æolicè* componentibus, ut hâc utantur *Prosodiâ*, permitti debeat, ipsi iudicent Præceptores. Certè *Theocritus* eam non semper adhibuit. Confer *Idyll. II. v.* 6. *Idyll. XI. v.* 41. &c.

labâ corripuisse; quæ quidem *Licentia* aliis, & præsertim *Homero* negata est, notante *Barnesio* ad *Homeri Hym.* in *Mercurium vers.* 106; ubi, ne ipse ferret *ultimam vocis* ἀθρόας correptam, Textum mutavit, atque ex coniecturâ ingeniosâ satis, & probabili edidit ἀθρό' ἰοῦσας.

(8) Ἰδίας productâ *ultimâ*. *Genitivus* iste sequitur *Analogiam Nominativi* in *ultimâ Syllabâ*. Porro *Nominativum* ἰδία *ultimam* producere adprimè docet *Præceptum I. De Alpha in Fine*; huius *Sect. Cap. II.*

(9) Ἡμέας *Accusativus Ionicus*, qui pronuntiari debet ἡμᾶς, factâ *Synæresi*, nam ἡμέας *ultimam* producit. Ita dicendum de aliis *Pronominum Accusativis pluralibus* ὑμέας, σφέας in *Linguâ Ionicâ* qui, semper contrahuntur in ὑμᾶς, σφᾶς, non verò in ὑμεῖς, σφεῖς, sicut βασιλέας & ἀληθέας in βασιλεῖς, ἀληθεῖς, qui habent ας *ultimam Syllabam* correptam. Firmatur insuper horum *Pronominum* in *ultimâ Syllabâ Prosodia*, & ex subiectis *Versibus*:

Ταῦτα μὲν οὐχ ὑμέας ἔτι λίσσομαι, οὐδ' ἀγορεύω. *Hom. Odyss.* β', *v.* 210.

Ἡμέας τοὺς ἄλλους, ἐπειὴ πολὺ φέρτατός ἐστιν. *Hom. Il.* θ', *v.* 211.

Ἠδ' ὅτκ' ἐσθλὸς ἔησι· κατὰ σφέας γὰρ μαχέσονται. *Hom. Il.* β'. *v.* 366.

Iam verò, qui ὑμέας in *priori Versu Dactylum* efficere, ἡμέας in *altero*, & in *tertio Versu* σφέας ε corripere, adeò ut necesse non sit, ut pronuntientur, veluti dixi, ὑμᾶς, ἡμᾶς, σφᾶς, profectò volunt, si hoc, inquam, mihi persuadere poterint, per me quidem & lunam de cælo se deducturos promittant.



PRÆ-

PRÆCEPTVM V.um

De Iota in Fine.

I' *Rapidum* est *Simplex*; *Contractum Longa* requirit,
Extremis quocum pariter protendier auctum
Lexibus I' voluit, quoties ἐπιδεικτικὸν exstat:
Sic κρῖ, sicque κοῖ producta in *fine* sequuntur.

INTERPRETATIO.

IOta Simplex *corripitur in* fine *omnium* Vocabulorum *Græcorum*; Contractum *verò producitur*; *Item producitur* τὸ ἐπιδεικτικῶς, *idest*, ἰ Demonstrativè, *additum* extremis Dictionibus, ut τετὶ, δευρὶ, νυνὶ, *&c. Et tandem* Longum *est in* Nomine κρῖ *pro* κρίμνον *factâ* Apocope, *& in* Adverbio κοῖ.

ADDITAMENTA.

I. *Adverbia & Pronomina aucta per Paragogen*, inquiunt communiter Prosodiographi, *producuntur*, ut νυνὶ, ὁτοσὶ, &c. Atqui etiam οὐχὶ *Adverbium* est per *Paragogen* auctum, & tamen ipsum in *fine* corripit *Theocritus Idyll. XXI.*, *v.* 40;

Καὶ τὺ Ῥέα κλαίεις τὸν βωκόλον· οὐχὶ δὲ κ' τύ.

Quod & miror illis non suboleviſſe. Eò igitur, hoc animadvertens confugi, ut dicerem, idque vero conformius puto, Iota non produci, nisi quùm *Demonstrativè*, ideſt, ad certam personam, locum, & tempus designandum, *extremis* additur *Dictionibus*.

Ex hâc noſtrâ obſervatione colligas, *Longum* eſſe Iota in ſequentibus, ſcilicet, νυνὶ, quùm id propriè valet; quod nos Itali dicimus = in queſt' iſteſſo momento =, τυτοῒ = queſta coſa appunto = ὑτοσὶ =, queſti qui preſente, &c. Longiorem enim moram Græci in pronuntiandis his *vocibus* abſumebant, quàm in pronuntiando ὑχὶ, & ſimilibus *vocibus* non Demonſtrativis.

II. Iota etiam non quidem per *Paragogen extremis Dictionibus* auctum, ſed ab *Atticis* ex ᾰ, vel ἑ, vel ὁ factum, ut in ταυτὶ pro ταῦτα, τοδὶ pro τόδε, τυτὶ pro τῦτο *Longum* eſt, quia ἐπιδεικτικὸν eſſe, ut reſpiciendo ad ſignificationem horum *vocabulorum* in Scriptoribus *Atticis* occurrentium, non nemo noverit.

III. Ad hoc quoque *Præceptum* neſcio quid ſibi volunt quidam Proſodiographi, hæc adnotantes = *Adverbia in τὶ ferè ſemper Longa ſunt, ut ἀνιδρωτὶ* =. Etenim iſta *Adverbia* ſemper corripiuntur; ubi verò producuntur, *τὶ Cæſura* eſt, ſi rectè animadvertitur. Ita manifeſtò ſumitur apud *Homerum Il. ό, v.* 228; τὸ ι per *Cæſuram Longum* in ἀνιδρωτὶ·

Χεῖρας ἐμάς· ἐπεὶ ὔ κεν ἀνιδρωτί γ' ἐτελέσθη.

Ceterùm, *Adverbia* in τι deſinentia *Brevia* eſſe in *ultimâ Syllabâ*, exempla, quæ ſequuntur, abundè probant;

Αὐτὸς δ' ἐν κονίῃσι μέγας μεγαλωςὶ τανυσθείς, Hom. Il. σ', v. 26.

Ἀγνοίη, Δωριςὶ, σέβυ μ'· Ἑλένας φυτὸν εἰμί. Theocr. Idyll. 18, *v.* 48.

IV. In *Præcepto* item nullus ſermo de Iota, quocum exprimuntur *Conſonantes* Ξῖ, Πῖ, Φῖ, Χῖ, Ψῖ; ſed neque opus erat; notatur enim *Accentu* ut cernitur, *Circumflexo*; & *Regula* perpetua & conſtans profectò eſt, ut *Syllabæ* eiuſmodi *Accentu* ſignatæ *Longæ* ſint.

V. Ν' *Paragogicum*, ut *Vir* ſummæ eruditionis obſervavit *Richardus Bentleius*, quem citat *Sam. Clarke* ad *Il. π', v.* 172; in *Nominum*, *Verborumque* fine ſuper-

vaca-

vacaneum prorſus eſt; & probatur ex eo, quòd ubique reperitur, inde ſine diſpendio tolli poteſt. Sic *vox* πνοιῇσιν ſequentis *Verſûs*

Πνοιῇσιν λιγυρῇσι διασκιδνᾶσιν ἀέντες. *Hom. Il.* έ, *v.* 526;

Longa erit in *ultimâ Syllabâ*, etiamſi ſcribatur πνοιῇσι, ratione *Cæſuræ*, vel propter *pauſam*, quâ iſta *vox* finitur.

EXEMPLA.

(1)

Μὴ μύρα λωτροχόοι τᾷ Παλλάδι, μηδ᾽ ἀλαβάστρως. *Callimac. in Lav. Pall. v.* 15.

(2)

Κνῆστι χαλκείῃ, ἐπὶ δ᾽ ἄλφιτα λευκὰ πάλυνε. *Hom. Il.* λ', *v.* 639.

(3)

Ὅστις ποτ᾽ ἐστὶν ὑτοσὶ, καὶ τῦ χάριν. *Ariſtoph. in Pl. v.* 53.

(4)

Ἵπποι δὲ κρῖ λευκὸν ἐρεπτόμενοι καὶ ὀλύρας. *Hom. Il.* θ', *v.* 560.

(5)

Κοῖ, κοΐ. *Ariſtoph. in Av. v.* 780.

OBSERVATIONES.

(1) Παλλάδι. In hâc *voce Syllaba ultima Brevis* eſt; quia illic Iota *Simplex* reperitur. Quæ *Regula* locum habet

In *Nominibus* neutris, ut μέλι, σίνηπι;

In *Dativis V.*ᵃ *Declinationis* cùm *ſingularibus*, tum *pluralibus*;

In *Dativis* aliarum *Declinationum*, quibus *Ionico*, vel *Dorico* more, ut κενεοῖσι, λόγοισι, additur ί in fine;

In *Nominibus* per *Paragogen* auctis, ut βίηφι, στρατόφι;

Et in *Verbis*, ut ἔλθῃσι, pro ἔλθῃς, & ſimilibus;

In *Vocativis V.*ᵃ *Declinationis*, ut Ἀμαρυλλί, ὄφι, ἔρι, &c.

In *Pronominibus* νῶϊ, σφῶϊ, σφίσι;

In *Præpoſitionibus* ἀμφὶ, ἐπὶ, περί, &c.

Et in *Adverbiis*, ut ἀναιμωτὶ, ποτὶ, ἀνδριστί, &c.

Quo-

Quorum exempla in Scriptoribus obvia sunt. Quod si summus Vates *Homerus* hoc in *Versu*, qui est *Il.* β', 21,

Νέςορι, τόν ῥα μάλιςα γερόντων τῖ' Ἀγαμέμνων·

Iota *vocis* τῖ producit, non exinde colligas istum *Canonem* hanc exceptionem pati, sed *Cæsurâ* id factum sine dubio credas, volo, quam vel sub initium *Quincti pedis* in *Versu Hexametro* poni, nihil, ut infra dicam, vetat.

(2) Κνῆςι *ultimam* producit, ubi *Contractio* facta est, quæ κρᾶσις dicitur. Κνῆςι enim pro κνήςει posita vox est; hinc Iota ex *Contractione* factum *Longum* est, ut *Regulæ* conveniat. Sic μάςι pro μάςει, μῆτι pro μήτει, & similium Iota in *fine Contractum* perpetuò & constanter productum erit.

(3) Οὑτοσὶ *ultimâ Longâ*, propter Iota ἐπιδεικτικὸν, seu *Demonstrativum*, quod *Syllabæ extremæ Pronominis Demonstrativi* οὗτος adponitur. Ubi verò istud Iota *extremæ Syllabæ* additum propriè sit ἐπιδεικτικὸν, quidve præstari debeat ad adsequendum discrimen hoc inter, & Iota *Paragogicum*, iam præfatus sum ad *Additam.* in hoc *Præceptum*, *num. II.*

(4) Κρῖ. Hic quoque *Longum* est Iota. Κρῖ per *Apocopen* hoc in loco positum liquidò constat ex *Nomine*, quod ipsum proximè sequitur, *Adiectivo* λευκὸν. Quòd autem Iota huius *vocis* per *Cæsuram* produci nequeat, ex ipsâ *Homerici Versûs* scansione facile erit diiudicatu. Quâ de re, quùm alia producendi ratio non adfulgeat, iure merito inter *Exceptiones* ipsum cooptavimus.

(5) Κοῖ, κοῖ. Duo heic habentur Iambi; unde liquet, Iota in *fine vocis* κοῖ *Longum*; quocum *Præcepto* satis fit, quod ipsam singillatim exprimit *vocem*, & Iota in *fine* productum habere perspicuè docet.

PRÆ-

PRÆCEPTVM VI.um

De ιν *in Fine.*

IN *Brevibus* gaudet; dant Ιν ſed *Nomina Longis*,
Ις, Ιν finalem quæ complectuntur utranque
In *Recto*; ac Ἡμῖν, Ὑμῖν *Pronomina*, Vates
Quæ tamen ut rapiant, vel promunt Ἄμμιν, & Υ̓́μμιν,
Vel *Circum* retrahunt *flexum*, mutantve in *Acutum*.

INTERPRETATIO.

BReves *ſunt apud Græcos* Dictiones *omnes, quæ in* Ιν *deſinunt.*

Producuntur tamen Nomina Dicatalecta, *ideſt, quæ utro modo* Nominativum ſingularem *in* Ις *&* *in* Ιν *terminant.*

Producuntur itidem Pronomina Ἡμῖν, *&* Ὑμῖν; *ſed Poëtæ iſta* Pronomina *etiam corripiunt, quod quidem ut faciant, alterutro ex tribus hiſce modis, eadem exprimunt, nimirum,*

Vel Æolicè *ſcribendo* Ἄμμιν, *&* Υ̓́μμιν;

Vel Accentum Circumflexum *retrahendo in* penultimam, *ſic*: ἧμιν, ὗμιν;

Vel Circumflexum *commutando in* Acutum, *ſic*: ἡμίν, ὑμίν.

AD-

I. *Nomina* finita in Ιν, licèt non sint *Dicatalecta*, aliquando tamen producuntur, idque evenit ob *pausam*, quæ post interpunctionem haberi solet, quomodo producitur Ιν *vocis κόνιν* apud *Æsc. Suppl. v.* 188;

Ὁρῶ κόνιν. ἄναυδον ἄγγελον στρατοῦ, &c.

Quædam etiam *Cæsuram* patiuntur, ut videre est apud *Theocritum* in *voce* ἐμὶν, & propterea *Longa* sunt in *ultimâ*:

Ζαλωτὸς μὲν ἐμὶν ὁ τὸν ἄτροπον ὕπνον ἰαύων. *Idyll.* 3, *v.* 49;

Alia item extra *Cæsuram* Ιν finalem producunt, quia pronuntiantur, tanquam si alia *Consonans* ν, vel ϝ duplicata præfixa sit sequenti *Vocali*. Exempla *Versus*, qui sequuntur, suppeditant,

Τοπρὶν ἐπ' εἰρήνης, πρὶν ἐλθεῖν υἷας Ἀχαιῶν. *Hom. Il.* ί, *v.* 403;

Τὶν ὅλος ἔγκειμαι, τὺ δέ μευ λόγον οὐδένα ποιῇ. *Theoc. Idyll.* 3. *v.* 33;

in quibus *voces* πρὶν ἐλθεῖν, & τὶν ὅλος pronuntiari debent, perinde ac si scriptæ fuissent, sic, πρὶν νελθεῖν, πρὶν ϝελθεῖν, & τὶν νόλος, τὶν ϝόλος. Alioqui produci ante dictæ *voces* πρὶν, & τὶν ante *Vocalem* minimè potuissent. Hoc animadversum sit, ne Tirones in crassos errores delabantur incauti, in quos vel solent impingere provectiores, qui *Re* Græcorum *Metricâ* non satis præstant.

II. Ῥηγμὶν *Nomen Dicatalectum* non credo, quia ῥηγμὶς in *Nominativo* nusquam repperi; producit tamen *ultimam* ῥηγμὶν, idque probatur ex *Genitivo* ῥηγμῖνος, qui *Longo*, ut patet, *Incremento* præditus est. Porro *Incrementum Longum*, *ultimam Syllabam Nominativi Longam* esse auguratur. Videas *Præceptum X. De Alpha Increm. V.a Declin.* in *Additam. III*; *Cap. I.* huius *Sect.* Quò etiam respicere debent Tirones, ut probam *Syllabarum*

in

in *ultimis Dictionum sedibus* quantitatem adsequantur.

III. De *Pronominibus* ἡμῖν, ὑμῖν, &c. satis iam est quod supra adnotavi in *Præcepto*, eiusque *Interpretatione*; si quis verò plura de his videre cupiat, adeat *Clarke* in *Odyss.* κ', *v.* 372. Monebo tamen, *ultimam* corripiendi gratiâ, si ante *Consonantem* ista *Pronomina* occurrant, *Æoles Litteram* ν' ab eis expungere, ut in hoc exemplo observatur:

Ἥ μάλα δὴ γάμον ἄμμι πολυμνήστη βασίλεια. *Hom. Odyss.* δ', *v.* 770.

EXEMPLA.

(1)
Γοδόνως ἐφόρησαν· ἀτύλωτοι δέ φιν ὦμοι. *Callim. in Dian.* *v.* 213.

(2)
Ὅς τὸν λῖν ὑπέμεινε τὸν ἄγριον, ἤρατο παιδός. *Theocr. Idyll.* 13, *v.* 6.

(3)
Ἥμιν εὐχομένοισι τελευτῆσαι τάδε ἔργα. *Hom. Odyss.* γ', *v.* 56.

(4)
Ἔρχιος ὡς ὑμῖν ὥρισε παιδοφιλεῖν. *Callim. Frag. Bentl.* *n.* 107. *v.* 2.

(5)
Πολλαὶ δ' ἄμμιν ὕπερθε κατὰ κρατὸς δονέοντο. *Theoc. Idyll.* 7, *v.* 135.

(6)
Τάων εὐμαρὲς ὔμμιν ὀπυίειν ἅς κ' ἐθέλητε. *Theoc. Idyll.* 23, *v.* 161.

(7)
Οὐδ' ἔτι γε πρέπει ἦμιν, ἅτ' ἀνδράσι σωζομένοισι. *Theogn.* Γνώ. *v.* 235.

Οὕτως γάρ ἐςι πλησίοις ἅπασιν ἡμὶν εἶναι. *Arist. in Pl. v.* 286.

OBSERVATIONES.

(1) Φὶν pro σφίσι more Poëtico, finem ιν præfert correptum. Ratio huius hæc est, quòd = Ιν *Brevibus* gaudet =. Eâdem quippe ratione corripi oportebit alia *Pronomina* Poëticè desinentia in Ιν; *Nomina*, *Adverbia*,

 omnes-

omnesque *Syllabas* exeuntes in Iʹ, quibus subinde additum quùm sit νʹ, eas exinde in Iν finire manifesta res est.

(2) Λῖν *Longum*, quia *Nomen Dicatalectum*. Dicitur enim = Leo = apud Græcos testantibus Lexicographis, & *Iacobo Gretsero De Iota Increm. Cap. X. Except.* 23; ὁ λῖς, seu ὁ λὶν, λιὸς, à quo *nomine* Poëtæ deducunt *Accusativum* λὶν, λῖν, qui, ad quantitatem quòd adtinet, perinde est ac *Nominativus*, quùm huiusmodi *Nomina Dicatalecta* finalem *Syllabam* Iν *Nominativi*, quovis in *Casu* ea sit, semper producant, etiam in *mediis Dictionibus*. Hinc in ῥινὸς, ἰνὸς, δελφῖνος, ἀκτῖνος, σαλαμῖνος, ἐλευσῖνος, &c. *Longa* est *penultima*. Immò vel *prima* in λιὸς producitur apud *Cyrum Theodorum*, quanquam *Lascaris* eam *Brevem* esse adfirmet, nullâ prolatâ auctoritate. *Cyri Versus* ita se habet:

Λιὸς ὀρεσκώοιο ἀγηνορίην ποτὲ Σαμψών.

(3) Ἡμῖν *ultimâ Longâ*, quam ita esse etiam *Accentus Circumflexus* docet.

(4) Ὑμῖν. Hic quoque producta est *ultima*, quâcum satis fit *Præcepto*.

(5) Ἄμμιν) Poëticè & *Æolicè* corripiuntur duo hæc
(6) Ὕμμιν) *Pronomina* in *ultimâ Syllabâ*; & sic passim inveniuntur correpta apud Poëtas, quos & imitari Tirones pro styli modulo semper poterunt, si Præceptori videbitur.

(7) Ἥμιν *ultimâ* correptâ, eamque ob caussam *Accentu Circumflexo* retracto in *penultimam*.

(8) Ἡμὶν *ultimâ* similiter correptâ, quæ quidem ut hàc quantitate constaret, necesse fuit, *Accentum Circumflexum* migrare in *Acutum*, qui in Orationis contextu postea vertitur in *Gravem*. *Versus Aristophanis* est Iambicus Tetrameter Catalecticus, habens in *ultimâ Dipodiâ Iambum*, & præter *Iambum*, unam tantùm *Syllabam* superstitem, unde fit, ut Tironibus etiam *finem* ιν *vocis* ἡμὶν *Brevem* esse facillimè colligatur.

PRÆ-

PRÆCEPTVM VII.um

De ις in Fine.

Corripe & ις finem: *Longis* tamen adiice *Rectum*,
In *Patrio* crescens, cui sit *penultima Longa*.
Productis pariter gaudent *Monosyllaba* quæque;
Exceptis δὶς, τρὶς, queis τὶς cum prole iugatur.

INTERPRETATIO.

Finita in ις *corripiuntur*;
Producitur tamen ις Nominativi, *à quo* Longum Incrementum *emanat*.
Producuntur itidem Monosyllaba, *præter* δὶς, τρὶς, & τὶς *cum* Compositis.

ADDITAMENTA.

I. *Nomina* in ις desinentia, quæ *Incrementum* modò *Longum*, modò *Breve* sibi adsciscunt, ις *Nominativi* poterunt vel corripere, vel producere; utrunque enim sanum est. Hinc, quia *Dionysius De Situ Orbis v.* 944; *secundam* producit in νεβρῖδα; & contra corripit eandem *Theocritus* Epig. 2. *v.* 4; *ultimam vocis* νεβρὶς pro libito corripere, vel producere licitum semper erit.

II. Item *Nomina* finita in ις, in quibus iste finis ex *Contractione* ortus, ut πόλις pro πόλεες, vel πόλεας, suum ις semper producunt.

III. Addo & *Nomina* in ις desinentia; si sint *Dissyllaba*, & *Oxytona*, ις *Nominativi* in fine producere.

IV. Quæ quidem *Regula* semper servanda, præter quàm in *Nominibus*, ex quibus *Breve Incrementum* exoritur.

Sic πατρὶς non producitur in *ultimâ Syllabâ*, sed corripitur, teste *Euripide*, quia habet *Breve Incrementum*,

Η῾ πατρὶς, ὡς ἔοικε, φίλτατον βροτοῖς. *In Phoeniss. v.* 409;

& *Homero*,

Γαίης· πῦ δὲ νύ οἱ γενεὴ κ̣ὶ πατρὶς ἄρυρα. *Odyss. ά*, *v.* 407.

V. Τὶς, quando *Nomen Indefinitum* est, corripi notarunt Prosodiographi omnes; sed corripi etiam *Interrogativum* vix ac ne vix quidem observarunt. Rem extra dubitationis aleam ponunt hæc exempla,

Α᾿λλὰ τίς ἄμμε κρινεῖ; τίς ἐπάκοος ἔσσεται ἁμῶν; *Theoc. Idyll.* 8, *v.* 25.

Δαίνυεν εἰλαπίνας τις; ἐν ἀλλοτρίοις Ε᾿ρυσίχθων. *Callimach. Hym. in Cer. v.* 85.

Aliàs τίς *Interrogativum Longum*, *Cæsuram* pati solet; ut in hoc *Versu*,

Ε᾿νδυμίων δὲ τίς ἦν; βωκόλος; ὄντε Σελάνα. *Theoc. Idyll.* 21, *v.* 37.

EXEMPLA.

(1)
Καλὸν ἐθειράζοντες ἀμοιβαδὶς ἄλλοθεν ἄλλος. *Theoc. Idyll.* 1, *v.* 34.

(2)
Δελφὶς εἰναλίων βασιλεύτατος ἦν τιν᾿ ἴδηται. *Nazianz. apud Dinner.*

(3)
Πέτρη γὰρ λίς ἐςι περιξεςῆ εἰκυῖα. *Hom. Odyss. μ'*, *v.* 79.

(4)
Τὸν βαθὺν οἰνοπότην Ε᾿ρασίξενον, ἡ δὶς ἐφεξῆς. *Callimach. Epig.* 38, *v.* 1.

Ε᾿ς

(5)
Ἐ'ς τρὶς ὑπαὶ νεφέων Διὸς αἴσιος αἰετὸς ὄρνις. *Theoc. Idyll.* 17, (6) *v.* 72.
Οὐδέ τις ἄςεα τόσσα βροτῶν ἔχει ἔργα δαέντων. *Theoc.* (7) *Idyll.* 17, *v.* 81.
Αὐτός τ', ἰφθίμα τ' ἄλοχος, τᾶς ὔτις ἀρείω. *Theoc. Idyll.* 17, *v.* 128.

OBSERVATIONES.

(1) Ἀμοιβαδὶς corripitur in *ultimâ*. Sic ἑξάκις, δισσάκις, τετράκις, πολλάκις, ἄλλυδις, &c. cum *ultimâ* semper correptâ in Scriptoribus passim obvia sunt.

(2) Δελφὶς in *fine* producitur; *Longo* enim, ut dixi supra in *Præcepto* XI. *De Iota Increm. V.a Decl. Cap. I.* huius *Sect.* gaudet *Incremento*, quia *Nomen Dicatalectum*. Eadem omnino *Prosodia* observanda est in *Nominibus*, quæ non sunt *Dicatalecta*, dummodo *Longum* præferant *Incrementum*.

(3) Λὶς *Dictio Monosyllaba*, idcirco *Longa*. Heic notabis *Apocopen*; dicitur enim λὶς pro λίσσῃ; ob id tamen non sequitur, ut λὶς discedat à communi *Regulâ*. Sic cetera *Monosyllaba* erunt producta.

(4) Δὶς corripitur, ut par est; quia δὶς in *Præcepto* inter *Monosyllaba*, quæ exceptione laborant, nominatim indicatur.

(5) Τρὶς corripitur ob eandem rationem, quâ δὶς.

(6) Τὶς *Nomen Indefinitum Breve*, ut *Regulæ* sit consentaneum.

(7) Οὔτις corripit Ις in fine, quia ex οὐ, & τὶς *Composita vox* est.



PRÆ-

PRÆCEPTVM VIII.um

De Ypsilon in Fine.

YPsilon *Extensis numero* dat Tertia *primo*
Persona ex *Quartâ finis* de nomine dictâ
In *μι*, γρῦ simul ac ὖ ὖ *Præverbia*. Finis
Ypsilon, his demtis, *Rapidum* consistet ubique.

INTERPRETATIO.

YPsilon in fine *producit*
Quælibet Tertia Persona singularis *ex* Quartâ Verborum *in μι* Coniugatione, &
Adverbia Γρῦ, & ΥᵀΥᵀ.
In reliquis verò Græcis Dictionibus *Ypsilon finale semper corripitur.*

ADDITAMENTA.

I. Ne quispiam in suspenso hæreat, per *Tertiam Personam singularem* ex *Quartâ Verborum* in *μι Coniugatione*, intellectam volo *Tertiam* ipsam *Personam singularem Imperfecti Activi*, atque etiam *Aoristi II;di* in *Verbis*, quæ non carent hoc *Tempore*; quæ quidem *Personæ* indicantur omnes prolatis verbis, quandoquidem alia *Tempora Verborum* in *μι Personas singulares* in Ypsilon desinentes non habent.

II. Non valet ad infirmandum *Præceptum* ex *Homeri Batrach.* hic *Versus*, qui est 97,

Ποινὴν σὺ τίσεις μυῶν ϛρατῷ, ἐδ' ὑπαλύξεις·

ubi, prout verba iacent, τὸ σὺ producitur. Etenim huius-

huiusmodi *Prosodiæ*; vel *Cæsura*; vel *Emphasis*, vel adulterata lectio locum dedit. Porro, qui de legitimâ scriptione subdubitant, Textum hoc pacto emendare conantur,

Ποινὴν αὖ σὺ μυῶν τίσεις ςρατῷ, ὐδ' ὑπαλύξεις.

Cui minùs hoc placet, alterutri, nimirum, *Cæsuræ*, vel *Emphasi* adhæreat, per me licet, modò *Præceptum* adservetur intactum.

III. Admittendum præterea non est, reclamantibus licèt quibusdam *Prosodiæ* Scriptoribus, τὺ *Doricum*, pro σὺ positum *Longum* esse. Hoc enim, præterquàm quòd nullâ, quantùm scio, auctoritate liquet, quidnam apud *Theocritum Doricum* profectò Scriptorem, quàm τὺ pro σὺ *Breve* magis obvium? Ex innumeris duo heic exempla in medium profero, quæ tamen instar omnium esse poterunt.

Φαμὶ τὺ νικάσειν ὅσσον θέλω αὐτὸς ἀείδων. Theoc. Idyll. 8, *v.* 7.

Μόσχον ἐγὼ θήσω, τὺ δὲ θὲς γ' ἰσομάτορα ἀμνόν. Theoc. Idyll. 8, *v.* 14.

IV. Frustra etiam sunt, qui *Præverbia* finita in ύ omnia, unico excepto ἀντικρὺ, corripi debere autumant. Hospes enim in *Re* Græcorum *Metricâ* sit oportet, vel prope nullam legendis Græcis Poëtis navarit operam, qui certè hoc ipsum *Præverbium* unâ cum reliquis in ύ finitis ignorat corripi. Fenestram tamen illis ad errorem patefactam fuisse ex eo dixerim, quòd haud observarunt, alicubi *Cæsuram* pati, & idcirco in *ultimâ Syllabâ* ἀντικρὺ seu καταντικρὺ, quod idem est, interdum productum.

En *Homeri* exemplum,

Α'λλὰ καταντικρὺ τέγεος πέσεν, ἐκ δέ οἱ αὐχήν. Odyss. κ', *v.* 559.

Sed æquè omnia *Præverbia* in ύ finita ob eandem rationem *ultimam* producere non negamus.

V. Tandem Ypsilon, quod *Litteræ Consonanti* ad eam pro-

pronuntiandam subiicitur, ut Μῦ, Νῦ, *Longum* est. In *Præcepto* haud facta huius à nobis mentio, vel quia nullus has *Litteras* sic exprimendi in vinctâ *pedibus* oratione venit usus, vel quia ex *Circumflexo Accentu* quantitas Μῦ, & Νῦ satis superque liquet, haud aliter ac *Præverbiorum* γρῦ, (vel ut aliquibus placet γρὺ), & ὖὖ, quæ tamen *Præcepto* addidi, ut morem potiùs aliis Prosodiographis gererem, quàm ut facerem quantitatis periculum, quæ ex *Accentu* similiter omnibus nota est.

EXEMPLA:

(1) Ἦμος δ' ἠέλιος κατέδυ, καὶ ἐπὶ κνέφας ἦλθε. *Hom. Il.* ά, ν. 475.

(2) Υ̓͂ ὖ, ὖὖ, ὖὖ, ὖὖ, ὖὖ, ὖὖ. *Aristoph. in Plut.* ν. 46.

(3) Τὸν δ' ἠμείβετ' ἔπειτα Θέτις κατὰ δάκρυ χέουσα. *Hom. Il.* ά, ν. 413.

(4) Ἐξ ἑδέων συφελίξαι· ὁ γὰρ πολὺ φέρτατός ἐστιν. *Hom. Il.* ά, ν. 581.

(5) Ὤι μοι τέκνον ἐμὸν, τί νυ σ' ἔτρεφον αἰνὰ τεκοῦσα; *Hom. Il.* ά, ν. 414.

(6) Οὔ μ' εἴας μακάρεσσι θεοῖς ἀντικρὺ μάχεσθαι. *Hom. Il.* έ, ν. 819.

OBSERVATIONES.

(1) Κατέδυ *vox ultimâ* sanè productâ ad utrunque *Tempus*, *Imperfectum*, nimirum, & *Aoristum II*, *dum* nos provocat, & *Tertia Persona* est *Verbi* καταδῦμι ad *Quartam Coniugationem* in μι pertinentis; quod satis est, ut ῦ huius, & aliarum huic similium *vocum* in *fine* produci debeat. Ita *Homerus* & hic in *Versu* excit., & alibi, quem imitati sunt Poëtæ *Epici* omnes cum *Comoediæ* Scriptoribus.

(2) Υ̓͂

(2) Γ*ῦ*, &c. His *Adverbiis* festivè exprimitur *sonus eorum*, *qui spiritu per nares ducto*, & *reducto*, *nidorem ciborum olfaciunt*. Quod autem ad *Prosodiam* adtinet, *Longa* sunt ista *Præverbia*, neque possunt ante *Consonantem* corripi, licèt interdum ante *Vocalem* instar *Longarum* aliarum *Vocalium* & *Diphthongorum*, non necessariò corripiantur. Itaque *Versus*, quem integrum ex *Aristophane* supra inter Exempla recensui, quùm Iambicus Trimeter, seu Senarius, scilicet, ex solis Iambis compactus sit, in eoque *duodecies* jugiter *Adverbium ῦ* repetatur; indidem manifestò liquet, impares *Syllabas*, seu singula *Adverbia*, quæ sedes illas occupant, *Brevia* iam esse, ex *Præcepto I. De Vocali ante Vocalem*, *Cap. I.* huius *Sect.*; pares verò, seu singula *Adverbia*, quæ sedes istas occupant, *Longa* ex hoc *Præcepto*. His *Præverbiis* aliud accedere debuisset γρῦ, nimirum, similiter *Longum*, sed frustra hactenus exemplum huius *Præverbii* apud Græcos Poëtas quæsivi, & quod in sequenti *Versu* tradit *Aristophanes* est inidoneum; nam *ultima* cuiusque *Versûs Syllaba*, qualiscunque ea sit, *Naturâ*, semper necessariò *Longa* est; ut infra dicam, ubi *De Lic. Poëtic. Sect. III. Cap. II*;

Καὶ ταῦτ' ἀποκρινομένυ τοπαράπαν, ὐδὲ γρύ. *In Pl. v.* 17.

Nihilominus res tanti momenti non est, ut testimonium citare necesse sit; nam in γρῦ quantitas ex *Accentu* liquet, in γρὺ verò (utrunque enim *Accentum* ad hoc *Adverbium* probat *Henricus Stephanus in Thesaur.*) non item quantitas ex *Accentu* dignosci potest, quo fit, ut illud huic innixi *Præcepto* producere, vel oblatâ etiam idoneâ auctoritate secundum laudatum *Henr. Steph.* mutando *Circumflexum* in *Gravem*, corripere valeamus.

(3) Δάκρυ correptâ *ultimâ*. Sic & alia *Nomina* in ύ desinentia, ύ finale corripere certum est.

 (4) Πο-

(4) Πολὺ *Adverbium* in fine *Breve*. In similibus quoque eadem servanda erit omnino *Prosodia*.

(5) Νὺ *Adverbium* item *Breve*, quod quùm sit *Monosyllabon*, exinde & alia *Adverbia Monosyllaba* in ύ finita, erunt omnino corripienda.

(6) Ἀντικρύ. Confer ea, quæ supra adnotata sunt in *Additam. IV*; super hoc *Adverbio*, & videas insuper hic, ubi nullus *Cæsuræ* locus est, *ultimam Syllabam* in ἀντικρὺ *Brevem*, tanquam generali *Præcepto De ύ in Fine* corripiendo consentaneam.



PRÆ-

PRÆCEPTUM IX.um

De Υν in Fine.

Υν *finis* brevia; producito *Nomina* semper
Dicatalecta, *Gradus Quintæ* simul ordine *Quartos*;
(Quandoquidem fuerit producta his *ultima Recti*,)
Et quas *Verborum Quartæ*, quæ desinit in ΜΙ,
Personas numero promunt duo *Tempora primo*.

INTERPRETATIO.

Υν *in* fine *Græcarum* Dictionum *corripitur*.

Producitur tamen in Nominibus Dicatalectis, *quæ*, *præter* Nominativum *in* υν, *habent etiam* Nominativum *in* υς,

In Accusativis singularibus Quintæ Declinationis Simplicium, *qui à* Nominativis *in* υς Longum *desinentibus ortum ducunt*,

Et in primis Personis Imperfecti, & Aoristi II;di Verborum *in* ΜΙ.

ADDITAMENTA.

I *Dictiones*, quæ habent Υν in fine *Circumflexum*, ut ἰχθῦν, μῦν, νῦν, & quales liceret plures, si necesse esset, suppeditare, adeò claram & liquidam per *Accentum* quantitatem reddunt, ut de earum *Prosodiâ*, quod

tamen à plerisque factum observo, in hoc *Præcepto* loqui supervacaneum omnino mihi visum fit.

II. *Nomina Dicatalecta* φόρκυν, μόσυν, &c. opus non est, ut adductis exemplis *ultimam* producere *Syllabam* υν, quâ hic de agitur, demonstretur; aliunde enim, nempe, ex *Increm. Longo*, quod hæc præferunt *Nomina* idipsum adeò clarum liquidumque est, ut ulteriori probatione non indigeat. Videas *Præceptum X. De Alpha Increm. Addit. III*; & *Præceptum XII. De Increm. Ypsilon*, in *Observ.* ad *num.* inter uncinos clausum (2), & (3).

III. Apertè etiam innuit *Analogia*, *Priores Personas* cùm *Imperfecti*, tum *Aoristi II;di Verborum Quartæ Coniugationis* in Mι, υν in *fine Longum*, quod supra iam monui, præferre. Etenim quâ *Analogiâ* ἐδίδων *ultimâ* effertur *Longâ*, eâdem ἐζεύγνυν *ultimam* habere *Longam* similiter adseritur; item quâ *Analogiâ* producitur in *ultimâ Syllaba* ἔδων, eâdem ibidem producitur & ἔφυν.

Exempla efficere profectò nequeunt, ut de *ultimæ Syllabæ* quantitate in ante dictis *Personis* liquidiùs nobis constet; quo & factum est, ut ne unum quidem proferre sustinuerim.

IV. Productis *Primis Personis* cùm *Imperfecti*, tum *Aoristi II;di Verborum Quartæ Coniugationis* in Mι, in *ultimâ Syllabâ* ἐζεύγνυν & ἔφυν cum similibus, cave ne easdem *voces* producas in eâdem *ultimâ*, quùm per *Syncopen*, vel per *Dialectum Boeoticam* pro ἐζεύγνυσαν, quæ *Tertia pluralis Persona Imperfecti* est, & pro ἔφυσαν, quæ *Tertia pluralis Persona Aoristi II;di* ponuntur. Continuò enim ac prædictæ *voces* ἔζευγνυν & ἔφυν usurpantur pro ἐζεύγνυσαν & ἔφυσαν *Breves* sunt in *ultimâ*, nisi alia producendi ratio præsto sit, ut in sequenti *Versu*,

Α'λλήλοισιν ἔφυν ἐπαμοιβαδὶς. ὣς ὑπ' Ο'δυσσεύς. *Hom. Odyss.* έ, *v.* 480;

ubi *ultima* in ἔφυν producta est propter *Cæsuram*; *Breves*, inquam, sunt per *Analogiam*. Quâ enim *Analogiâ*

gid ex ἐτίθεσαν, & ἔθεσαν factum est ἐτίθεν, & ἔθεν correptâ *ultimâ*; eâdem ex ἐζεύγνυσαν, & ἔφυσαν factum est ἔζευγνυν, & ἔφυν *ultimâ* similiter correptâ. Hæc quoque quùm satis nota sint, adductis exemplis notiora fieri, nihil opus.

V. Eadem *Analogia* te docebit, *ultimam* in ζευγνὺν, &c. quod est *Participium Præsens* simul & *Imperfectum*, & φὺν, quod est *Participium Aoristi II;di Verborum* in Μι, corripiendam; nam, quùm in similibus *Participiis* neutrius generis, qualia sunt ζευγνὺν, & φὺν, ex *Primâ* tamen *Verborum* in Μι *Coniugatione* τιθὲν, scilicet, & θὲν corripiatur *ultima*, ut *ultima* quoque in ζευγνὺν, & φὺν corripiatur *Analogia* utcunque postulat.

VI. Τν *Accusativi* non producitur, nisi Τς *Nominativi* productum sit. In quibus verò *Nominibus* Τς *Nominativi* produci debeat, tradit *Præceptum XI. De* Τς *in Fine* ad calcem huius *Cap.*; & *Sect. II.*

EXEMPLA.

(1)

Θῦρος Α῎ρης ἐφύλασσε σὺν ἔντεσι. τὼ δὲ οἱ ἵππω. *Call. Hym. in Del. v.* 64.

(2)

Δεύτερον αὖ Μῶμον ϰ̉ Ο῎ϊζὺν ἀλγινόεσσαν. *Hes. in Theog. v.* 214.

OBSERVATIONES.

(1) Σὺν *Breve*. Adde νὺν, τοίνυν; item ὠκὺν,

Βάλλων ὠκὺν ὀϊστόν· ἐπηύτησε δὲ λαός. *Call. Hym. in Apoll. v.* 102;

quia corripitur υς *Nominativi*, in hoc *Nomine*; nam,

Τοῖσι δ᾽ ἀνιστάμενος μετέφη πόδας ὠκὺς Α᾽χιλλεύς. *Hom. Il.* ά, *v.* 58;

& in aliis *Nominibus* idgenus pluribus apud Græcos Poëtas obviis Τν *finem* correptum notabis, quibus proinde *Præcepti* verba competunt = Τν brevia =.

(2) Ο῎ϊ-

(2) Ὀϊζὺν *ultimâ Longâ*, quia *ultima* quoque in διζὺς producitur. Eàdem ratione etiam κλιτὺν, &c. in *fine* producitur,

Εἰ δέ κεν ἐς κλιτὺν ἀναβὰς ϗ δάσκιον ὕλην. *Hom. Odyſſ.* ξ, *v.* 470;

dummodo hæc *Nomina* ſint *Subſtantiva* ſimul & *Oxytona*. Hinc ὁ ϗ ἡ κυανόφρυς *nigrum habens ſupercilium* ex κύανος, & ὀφρὺς, ύος, Υν *Accuſativi* corripit, licèt in ὀφρὺν, Υν *Longum* ſit;

Τήναν τὰν κυανόφρυν ἐρωτίδα, τᾶς ποτ᾽ ἐκνίσθη; *Theoc. Idyll.* 4, *v.* 59.



PRÆ-

PRÆCEPTVM X.um

De ΥΡ in Fine.

ΥΡ, præter μάρτυρ, *Longis* finita dabuntur.

INTERPRETATIO.

Finita in Υρ, *præter unicum* Nomen μάρτυρ, *quod desinit in* Υρ Breve, *producuntur*.

ADDITAMENTA.

I. *Doctissimus T. Morell* ad hoc *Præceptum* hæc notat = Υρ finita producuntur, πῦρ, μάρτυρ, ψίθυρ; quæ tamen in *Obliquis Brevia* sunt =. Verùm, quùm nihil addat præterea, & quod magis mirum, nullum testimonium adducat; exinde, meo quidem iudicio, sit, ut parumper suspecta eiusmodi *Prosodia* habenda sit.

II. Interea *Nomen* μάρτυρ in *fine Breve* videbis in sequentibus.

III. Ad ψίθυρ quod adtinet, *Gretserus De Ult. Syllabis Cap. XXVI. Longum* hoc *Nomen* in *fine* dici à Grammaticis observat. Deest insuper hic quoque auctoritas.

IV. Quidam etiam *Prosodiæ* Scriptores, omissis iis, quæ in *fine Accentum Circumflexum* gestant, ac proinde *Longa* sunt aliunde, generatim docent = Finita in υρ *Longa* esse =.

V. Ego verò, si, quod mihi ipsi adridet, bonâ tamen

men sapientis *Morell*, *Gretseri*, & aliorum veniâ, in medium proferre liceat, excepto πῦρ unâ cum aliis *Dictionibus*, quæ *Accentum Circumflexum extremæ Syllabæ* adpictum habent, Υρ in *fine* ut in *voce* μάρτυρ, ita & in aliis sanè corripi non negarem, quemadmodum & produci etiam posse dicerem, propter *Consonantem* ῥ in *mediis vocibus* solitam geminari. Videas *Præceptum III. De Positione* huius *Sect. Cap. I.*

EXEMPLA.

(1)
Ὅππως δὴ πρῶτον πῦρ ἔμπεσε νηυσὶν Ἀχαιῶν. *Hom. Il.* π', v. 113.

(2)
Μάρτυρ ἐγὼ, σὺ δέ μοι γίγνευ ἀληθοσύνης. *Theog. Ver. à Div. exc. Script. sub fin.*

OBSERVATIONES.

(1) Πῦρ *Longum* etiam sequente *Vocali*, quod est ex *Accentu* notum, & sic produci dicuntur omnia desinentia in υρ etiam non *Circumflexa*, quod vix credo, ut modò innuebam ad *Addit. V.* Atque ita sanè, donec quis meliora in medium proferat.

(2) Μάρτυρ cum *ultimâ Brevi*; quod quidem exemplum, quia minùs observarunt Prosodiographi, veram idcirco huius *Nominis*, & aliarum in *fine Dictionum Prosodiam* non sunt adsequuti. Ceterùm *Versus* hic à *Gretsero* relatus *De Ult. Syllabis Cap. XXVI.*

Μάρτυς ἐγὼν ὅτι μῦθος, ὅδ' ἔπλετο πᾶσιν ἀληθής. *Bion Idyll.* 4. v. 7;

ubi non μάρτυρ, uti erat opus, sed μάρτυς scriptum legitur, omnino mihi visus est supervacaneus ad hoc *Præceptum*.

PRÆ-

PRÆCEPTVM XI.um

De Υς *in Fine*.

ΥΣ *Breve* ponatur. Producito *Nomina Fixa*
Oxytona, ex istis *Patrius* quandoque creatus
Exit in Ος *Purum*, dein *Nomina Dicatalecta*,
Nec non, à *Verbis Quartæ* quæ desinit in ΜΙ,
Personas simul & *Casus* Υς *fine* profectos.

INTERPRETATIO.

Finita in Υς *corripiuntur; producuntur tamen* Nomina Substantiva, *quæ* Accentum Acutum *habent in* ultimâ Syllabâ, *&* Genitivum *insuper in* Ος Purum, *ut aiunt* Grammatici, *desinentem*,

Nomina Dicatalecta, *idest*, *quæ præter terminationem* Υς *in* Nominativo, *aliam quoque* Υν *in eodem* Casu *præferunt terminationem*.

Item Personæ *&* Casus *in* Υς *desinentes*, *quotquot ad* Quartam Coniugationem Verborum *in* ΜΙ *pertinebunt*.

ADDITAMENTA.

I. *Monosyllaba* in Υς *Longa* sunt; de his tamen nulla in hoc *Præcepto* facta est mentio, quia *Circumflexo Accentu* prænotata ferè semper occurrunt; quo fit, ut aliunde, nempe, ex *Præcepto IV. De Accentu Sect.* huius *Cap. I*; eorum quantitas abunde liqueat.

II. Similiter eandem ob caussam *Polysyllaba* in Υς

Circumflexo in *fine* ſignata locum hoc in *Præcepto* non habent. Id autem in Adnotatis pono, ne ex oſcitantiâ omiſiſſe videar.

III. *Perſonæ* & *Caſus Quartæ Coniugationis Verborum* in Mι, de quibus in hoc *Præcepto* ſermo habetur, ſunt, quantùm ad *Perſonas* adtinet, *Secunda Præſentis Indic. Act.*, *Secunda Imperfecti* item *Indic. Act.*, & *Secunda Aoriſti II:di* ſimiliter *Indic. Act.*, quantùm verò ad *Caſus* ſpectat, *Nominativus Participii Præſentis*, & *Imperfecti Activi*, & *Nominativus Participii Aoriſti II:di* item *Activi*; ſi enim ab indicatis recedas, nullas alias *Perſonas*, nullos *Caſus* in ante dictâ *Coniugatione* invenire tibi fas erit in Ϛ deſinentes. Quæ res Græcæ Grammatices non ignaris nota eſt. Clarior autem eſſe non poteſt harum *Perſonarum*, & *Caſuum* in *ultimâ Syllabâ Proſodia*, quàm ut exemplis demonſtrari queat, ſi intendantur utique in *Analogiam* oculi. Etenim haud aliter ac in τίθης, ἐτίθης, ἔθης, τιθεὶς, θεὶς *ultima Longa* eſt, ita quoque *ultima Longa* erit in ζεύγνυς, ἐζεύγνυς, ἔφυς (utor quippe *Verbo* φῦμι, quia ζεύγνυμι caret *Aoriſto II:do* in omnibus *Modis*) ζευγνὺς, & φύς.

IV. Nomina ἰχθὺς & ὀφρὺς variantur in *ultimâ*, & in *Compoſitis* alicubi corripiuntur, teſte *T. Morell* ſæpius laudato. Cui profectò eò magis fides habenda, quòd in iis *Accentus Acutus* ſiſtens in *ultimâ* ſemper haud permanet, ſed migrat aliquando in *Circumflexum*. Confer, ſi libeat, *Dinnerum* verbo ἰχθὺς, & ὀφρὺς cum *Lexicographis*. Ceterùm, quando corripiuntur *Oxytona*, (nam *Circumflexa* corripi poſſe nemo dixerit,) quæ ſimul *Subſtantiva* ſunt, & *Genitivum* in Os *Purum*, ut aiunt, deſinentem habent, excipiuntur utique à communi *Regulâ*, cuius hæc verba ſunt,

. . . . Producito *Nomina Fixa*
Oxytona, ex iſtis *Patrius* quandoque creatus
Exit in Os *Purum* . . . .

Quan-

Quanquam id rarò evenire poſſe, ni fallor, credo.

V. *Κάμυς Nomen*, Latinè, *faſciculus*, *manipulus*, in *ultimâ Longum*, quod tamen ex hoc *Præcepto Breve* in *ultimâ* haud ſecus, ac *πῖτυς* eſſe debuiſſet, neque inter Exceptiones, quibus recens laborat *Regula*, iſtud placuit referre, quùm eius in *ultimâ Syllabâ Proſodia* ex *Accentu* ſatis ſuperque liqueat. Si enim *ultima* eſſet *Brevis*, deberet *penultima* omnino circumflecti. Atqui iſtud nec ipſum *Gretſerum* præteribat.

VI. *Nomina* in Υς, υος, quæ, iuxta Grammaticos, contrahuntur in *Nominativo*, *Accuſativo*, & *Vocativo plurali*, & *Contracta* deſinunt in Υς, ut, exempli gratiâ, *οἱ βότρυς, τὺς βότρυς, ὦ βότρυς*, pro *οἱ βότρυες, τὺς βότρυας, ὦ βότρυες*, *Longa* ſunt in *ultimâ*, latâ *Contractionis* lege, nec niſi peſſimè in eâdem *Syllabâ* corriperentur.

EXEMPLA.

(1)

Ἠ νύτῳ ἀμβλύνεται, ἢ ὕδατος ἐγγὺς ἐόντος. *Arat. in Progn. v.* 55.

(2)

Ὣς φάσαν ἡ πληθύς· ἀνὰ δ' ὁ πτολίπορθος Ὀδυσσεύς. *Hom. Il. β', v.* 278.

(3)

Φόρκυς αὖ Φρύγας ἦγε καὶ Ἀσκάνιος θεοειδής. *Hom. Il. β', v.* 369.

(4)

Τὰν βαίταν ἀποδὺς, εἰς κύματα τῆνα ἁλεῦμαι. *Theoc. Idyll.* 3, *v.* 25.

OBSERVATIONES.

(1) Ἐγγὺς cum *ultimâ Brevi*; & ſic in aliis ſive *Adverbiis*, ſive etiam *Nominibus*, quorum exempla in ſingulis ferè Poëtarum Græcorum paginis occurrunt, generatim loquendo *ultima* erit corripienda, quoties hæc deſinet in Υς.

(2) Πληθὺς *Longum* habet Υς in *fine* unâ cum reliquis

liquis *Nominibus Substantivis* item & *Oxytonis Genitivum* in Oς *Purum* ferentibus. Sed *Nomina* in Υς desinentia, quibus alterutra ex his proprietatibus deest, non discedunt à communi *Regulâ*. Exinde πίτυς *ultimam* corripit apud *Theocritum*,


Ἁδύ τι τὸ ψιθύρισμα καὶ ἁ πίτυς αἰπόλε τήνα. *Idyll.* 1, *v.* 1; & alia sexcenta.

(3) Φόρκυς *Nomen* est *Dicatalectum*; inflectitur enim φόρκυς – υνος, & φόρκυν – υνος: utraque inflexio proba est, & Tironibus imitanda; idcirco *ultima* in φόρκυς *Longa*. Perinde erit in aliis *Nominibus Dicatalectis*.

(4) Ἀποδὺς *Participium Præs.* ex *Quartâ Coniugatione Verborum* in ΜΙ, & quidem *Longum* in *ultimâ*, ut docet *Præceptum*. Mitto exempla *Participii Imperf.*, & *Personarum* omnium eiusdem *Coniugationis* in Υς desinentium, tum quia perrarò apud Græcos Poëtas occurrunt, tum quia, si fuerint adlata, maiorem ex eis Tirones referre non possent utilitatem, quàm quæ ipsis ex *Analogiæ* observatione, de quâ sermo est in *Addit. III.* ad hoc *Præceptum*, esset obventura.

SECTIONIS II.dæ FINIS.

SE-



SECTIO III.

In quâ agitur de Figuris, & de Licentiâ, quam adpellant, Poëticâ, vulgò minùs intellectâ.

CAP. I.um

DE FIGVRIS.


Igurae aliæ sunt *Dictionis*, aliæ *Carminis*. Figuræ *Dictionis* sunt Apostrophus, Metathesis, Antistoechon, Tmesis, Endeia, Pleonasmus, Prosthesis, Aphæresis, Anadiplosis, Arsis, Ectasis, Systola, Syncopa, Epenthesis, Diæresis, Synæresis, Elleipsis, Parenthesis, Paralleipsis, Diplasiasmus, Paremptosis, Ecthlipsis, Apocope, Paragoge, & Cæsura.

De hisce omnibus notentur *Versiculi* memoriales, qui sequuntur.

Diphthongi expunctæ aut *Vocalis Apostrophus* index.

Lit-

Littera si legitur transposita, *Metathesis* exstat,
Antistoechon erit, tibi *Littera* si varietur.
Compositæ Vocis dissectio *Tmesis* habetur.
Deficit *Endeia*: at contra *Pleonasmus* abundat.
Prosthesis adponit capiti: sed *Aphæresis* aufert.
Ceu *Anadiplosis* geminat: sic detrahit *Arsis*.
Ectasis extendit: curtat sed *Systola Vocem*.
Syncopa de medio tollit, quod *Epenthesis* indit.
Dicitur in binas difflare *Diæresis* unam.
Dicitur è binis conflare *Synæresis* unam.
Reiicit *Elleipsis*, contraque *Parenthesis* indit.
Quodque *Paralleipsis* tollit, dat *Diplasiasmus*.
Quodque *Paremptosis* dat, id *Ecthlipsis* removebit.
Aufert *Apocope* finem, quem dat *Paragoge*.
Vocalem Rapidam Longis Cæsura reponit.

De Apostropho.

Apostrophus est elisio quarundam *Vocalium*, & *Diphthongorum* in fine *Dictionis* ante alteram *Vocalem* vel *Diphthongum* in initio sequentis.

Rectè notavi = quarundam *Vocalium*, & *Diphthongorum* =; nam *Apostrophus* locum non habet, præter quàm in *Dictionibus*, si de *Vocalibus* sermo sit, quæ desinunt per *Vocales* ᾰ, ε, ῐ, ο. Exempla huius *Figuræ* quamvis in singulis ferè Poëtarum paginis sint, nihilominus plura huic loco non infero, quàm oporteat.

Νύμ-

Νύμφη πότνι' (pro πότνια) ἔρυκε Καλυψὼ δῖα θεάων.
Hom. Odyss. ά, ν. 14.

Τοῦ ὅγ' (pro ὅγε) ἐπιμνησθεὶς ἔπε' ἀθανάτοισι μετηύδα.
Hom. Odyss. ά, ν. 31.

Ἠ' δ' ἐπ' (pro ἐπὶ) ἀπείρονα γαῖαν ἅμα πνοιῇς ἀνέμοιο.
Hom. Odyss. ά, ν. 98.

Ἀλλ' οὐδ' ὡς τοῦ λήθετ' (pro λήθετο) ὀδυρόμενος καὶ ἀχεύων.
Hom. Odyss. β', ν. 23.

Si verò de *Diphthongis* agatur, aliquando per *Apostrophum* eliditur αἰ,

Χ' (pro καὶ) αἱ Μοῦσαι ποτὶ Κύπριν· Ἄρει τὰ σωμύλα ταῦτα.
In *Novo Græcor. Epigram. Delectu Edit. Etonæ* 1767. *Epig.* 11.

Rariùs οἰ,

Ὥς μ' (pro μοι) ἔθελεν φιλότητι μιγήμεναι οὐκ ἐθελούσῃ:
Hom. Il. ζ', ν. 165;

Et rarissimè *Longa Vocalis*, vel *Diphthongus* ἑ.

Quâ de re ad *Odyss.* ά, ν. 226; scribendum cum *Barnesio* = εἰλαπίνη ἐ' γάμος, pro = εἰλαπίν' ἠὲ γάμος, quam ad *Var. Lect.* reiicimus, quia illa potior, tutiorque videtur *Lectio*. Ita apud *Theogn.* γνώμ. ν. 147.

Ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή 'στι.

Elisionem pro arbitrio negligunt Poëtæ.

Si de *Atticis* sermo sit, non licet his ullam, ne vel αἰ *Diphthongum* elidere. Revera *ultima* dumtaxat *Vocalis* eliditur, altera cum *primâ* sequentium per *Crasin* coälescit, ut, εἶν' ἄγγελος. *Arist. in Av.* ν. 1340; pro εἶναι ἄγγελος, & παῦσ' Αἴσχυλε. *Arist. in B.* ν. 867; pro παῦσαι Αἴσχυλε, si utrobique legatur absque *Apostropho*.

Exinde inferto, *Diphthongorum* elisionem pueris in imitationem minimè commendandam.

Adhibenda est etiam cautio in elidendâ *Longâ*, & præcipuè ά, in quâvis *Dictione* hanc alia *Vocalis* vel *Diphthongus* præcedat, quùm isto in casu sæpius *Longa* sit. Ini-

Initialis *Brevis* post finalem *Longam* non rarò permitur,

Οὔ μαν ὔτ' αὐτὰς τὰς λιμνάδας ὤ' γαθὲ Νύμφας. *Theocr. Idyll.* 5, v. 17;

ubi ὤ' γαθὲ pro ὦ ἀγαθὲ = O bone =; & similia apud eundem passim Scriptorem.

Elidunt etiam Poëtæ *Brevem* ante *Consonantem*, præsertim in *Præpositione* παρὰ, ut, *Odyss.* ζ, v. 18; & alibi,

Πὰρ' δὲ δύ' ἀμφίπολοι χαρίτων ἄπο κάλλος ἔχουσαι.

Similiter dicitur ἀρ' pro ἄρα, & κατ' pro κατὰ, *Brevibus Vocalibus* abiectis per *Apostrophum* ante *Consonantem*.

Apostrophus non tantùm in eodem *Carmine*, sed etiam in diversis locum habet, ut,

Τρῶας ἀπώσασθαι, κὶ ἐρυκέμεν εὐρύοπα Ζῆν',
Αὐτοῦ κ' ἔνθ' ἀκάχοιτο καθήμενος οἶος ἐν Ἴδῃ. *Hom. Il.* θ' v. 206, *& seq.*

Sed monitum sit in universum, ut omnium Poëtarum Græcorum, imprimisque *Theocriti Apostrophos* diligenter observent studiosi Adolescentes. Ex iis enim fontibus multò plura, quàm heic explicata sunt, quæ pangentibus *Carmina* magno erunt usui, proculdubio poterunt exhaurire.

De Metathesi.

Metathesis, seu ἐνάλλαξις, seu ὑπέρθεσις, seu *Transpositio* est, quùm *Littera* suâ sede movetur, & alio loco ponitur, ut: κραδία, pro καρδία. Græcis Poëtis etiam accuratissimis hæc *Figura* est ob *Metrum* usitatissima.

Quùm autem insignia sint, quæ de *Metathesi* exempla innui ad *Præceptum XVI. De Vocal. Ancipit. in Aor. II.do & Fut. II.do penultim. Quantit. Sect. II. Cap. I.*, eò Lectorem amando, atque ita me ipsum ab aliis hic inutiliter exaggerandis expedio.

De

De Antiſtoecho.

*A*Ntiſtoechon ſeu *Metalepſis*, ſeu *Transmutatio*, eſt unius *Litteræ* in aliam mutatio, ut: τήμερον pro σήμερον. Dicitur etiam *Antitheſis*: unde *Verſus*:

Antitheſin dices, aliam ſi *Littera* mutet.

Sed iam Poëtarum quilibet pro modulo ſuæipſius *Dialecti* peculiares quaſdam *Litterarum* in alias mutationes admittit, & probat, quas omnes videre erit apud Græcæ Grammatices Scriptores, & ſignanter apud ſæpius laudatum *Gretſerum*.

De Tmeſi.

*T*Meſis eſt *vocis Compoſitæ* ſectio unâ *Dictione*, vel pluribus interiectis. Hæc de *Tmeſi T. Morell*, nec quidquam ampliùs.

Uni tamen, ni fallor, obſervationi heic locus eſt, nempe, quòd *Nomina* vocem quamcunque componentia raró apud Græcos Poëtas *Tmeſin* patiuntur, *Præpoſitiones* verò non item. Exempla huius *Figuræ*, quæ habentur in ſubiectis *Verſibus*, rem omnem extra dubitationis aleam collocabunt.

Εἰ μὴ ἐγώ σε λαβὼν, ἀπὸ μὲν φίλα εἵματα δύσω. Hom. Il. β′, v. 261.

Τυδέος, ὃν Θήβησι χυτὴ κατὰ γαῖα κάλυψε. Hom. Il. ξ′, v. 114.

Αὐτὰρ ἐπεὶ πόσιος καὶ ἐδητύος ἐξ ἔρον ἕντο. Hom. Odyſſ. ά, v. 150.

Atque ita dubium non erit, quin vel ipſi Tirones *Tmeſi*, quoties opus fuerit in pangendis *Carminibus*, uti valeant.

De *Endeiâ*, & *Pleonasmo*.

ENdeia seu *Defectus* est, quùm *vox Litterâ*, vel *Syllabâ* deficit; contra verò *Pleonasmus* seu *Redundantia*, quùm *vox Litterâ*, vel *Syllabâ* abundat.

Fit *Pleonasmus* novem modis, totidemque *Endeiæ Pleonasmo* oppositis, ut diximus, qui mox explicabuntur.

Pleonasmus & *Endeia* esse possunt in *initio*, in *medio* & in *fine Dictionis*.

Quando *Pleonasmus* habetur in *initio Dictionis*, oritur *Prosthesis*, & *Anadiplosis*: quando in *medio*, *Epenthesis*, *Diæresis*, *Parenthesis*, *Diplasiasmus*, *Ectasis*, & *Paremptosis*: quando in *fine*, *Paragoge*.

E' conversò si *Endeia* est in *initio Dictionis*, oritur *Aphæresis* & *Arsis*: si in *medio*, *Syncope*, *Synæresis*, *Elleipsis*, *Paralleipsis*, *Ecthlipsis*, & *Systola*: si in *fine*, *Apocope*.

De *Prosthesi*.

PRosthesis est adpositio *Litteræ* ad caput, seu initium *Dictionis*. Hâc utuntur *Figurâ* Poëtæ, ut antecedentis *Vocis Brevem ultimam Syllabam* plerunque factâ *Positione* producant. Ita *Callimachus*,

Εἶχον ἀπὸ σμικρῶν ὀλίγον βίον, ὔτε τι δεινὸν. *Epig.* 28. *v.* 15

ubi σμικρῶν per *Prosthesin* loco μικρῶν suffecta *vox* est.

Nobis tamen ob eam caussam *Prosthesin* advocare non licet, qui *ultimam Brevem* cuiusvis *Dictionis* fieri *Longam* posse propter *Pausam*, quâ *Vox* finitur, multoties observavimus.

Sed cedo *Euphoniæ*, quâ & hic & alibi σμικρῶν pro μικρῶν scriptum sit: atque hoc nomine imitatio non displicet.

Vocalium apud Græcos Poëtas multò frequentior, quàm

quàm *Consonantium* initio *Dictionum Prosthesis* seu adpositio. Hinc apud *Callimachum* ἀπάσαις pro πάσαις,

Οὐδ' Ἥρην κοτέουσαν ὑπέτρεσας· ἣ μὲν ἀπάσαις. *Hym. in Del. v.* 55;

& apud *Homerum* passim reperiuntur similia.

De Aphæresi.

APhæresis est ablatio seu reiectio *Litteræ*, vel *Syllabæ* ab initio. Exemplo esse potest *vox* κείνης pro ἐκείνης, quâ *Callimachus* utitur in hoc *Versu*, qui est 204, ex *Hym.* in *Dianam*,

Οὖπι ἄνασσ' εὐῶπι, φαεσφόρε, καὶ δὲ σε κείνης;

& similia, quæ tamen ad *Apostrophum* referri nequeunt, quia *Apostrophi* signo non notantur.

De Anadiplosi.

ANadiplosis seu *Geminatio* est repetitio eiusdem *Syllabæ* in initio *Dictionis*. Unum dumtaxat *Geminationis*, quâ hic de agitur, exemplum profero; verùm innumera prope obvia apud Græcos Poëtas, quorum scripta sine eiusmodi *Geminationibus* languerent omnino ac conflaccescerent.

Ω' Εὐηρεΐδα, χαλεπὴν ὁδὸν ἄγαγε δαίμων; *Callimach. in Lav. Pall. v.* 81.

Has *Geminationes* vel pueri, quoties opus fuerit, poterunt imitari.

Αὐτὰρ ἐπὴν ἀγάγησιν ἔσω κλισίην Ἀχιλῆος. *Hom. Il.* ώ, *v.* 155.

De Arsi.

ARsis seu *Detractio* est geminatæ *Syllabæ* abiectio. En exemplum,

Αἰδεῖσθαί θ' ἱερῆα, καὶ ἀγλαὰ δέχθαι ἄποινα. *Hom. Il.* ά, *v.* 23;

ubi *vocem* δέχθαι pro δεδέχθαι usurpatam fuisse res est omnibus manifesta. L l 2 Hæc

Hæc quoque *Figura* passim occurrit apud Poëtas; nec video, cur etiam Tirones, dummodo id ipsum cum iudicio fiat, eâdem uti nequeant.

De Ectasi, & Systolâ.

Ectasis est, per quam *Syllaba Brevis* producitur. Dicitur etiam *Diastole*, quâ *voce Figura* significatur, per quam *Syllaba* contra naturam extenditur.

Systole verò est correptio *Syllabæ* naturâ *Longæ*. Hæc Prosodiographi ferè omnes, adeò ut ad *Ectasin*, *Diastolen*, & *Systolen* iidem confugientes naturâ *Longas Syllabas* pro arbitrio corripiant, & è conversò *Breves* producant. Utique hoc si si liceret, omnis Græca *Prosodia* pessum iret.

Itaque *Ectasin* & *Diastolen*, quæ *Brevem* producit, & *Systolen*, quæ *Longam* corripit, ceteraque Grammaticorum, & *Prosodiæ* quorundam Scriptorum figmenta, quasi nullis legibus constricti essent Græci Poëtæ, nihil moror; tum quia errata Editionum pro *Licentiâ*, quam adpellant, *Poëticâ* haud rarò deputantur; tum quia *Breves Syllabæ* non omnes, neque omni in *Positu*, sed certâ quâdam ac constanti ratione fiunt productæ vel ad aliquid ζωγραφικῶς depingendum, vel ad quandam elegantiam suo loco dignissimam exhibendam.

Nihil eo secius utantur, quoties opus fuerit, *Ectasi* & *Systolâ* Tirones, per me licet, ita tamen, ut *Syllabæ* mutatio accedat iuxta Poëtarum placita, & præter propter exempla, quæ huc conveho, vel quæ legentibus se se obiicient.

Ἐξέφερον· Λητοῖ δὲ διακριδὸν, ὕνεκα μούνη. *Callim. Hym. in Del. v.* 57;

ubi ut *prima* in μόνη *Brevis* naturâ, produceretur, per *Ectasin* factum, ut dicat μούνη.

Θάρσει κῶρα φίλα. τί μοι ἔτρεμες; ὡς μάλα δειλά. *Theocr. Idyll.* 28, *v.* 51;

muta-

mutato ὁ in ώ ad *vocem* κῶρα per *Ectasin*, eiusdem *vocis penultima* ut esset *Longa*; *Communis* enim *Dialectus* habet κόρη. Inde *Callimachus Hym. in Del. v.* 67,

Ἥςο, κόρη Θαύμαντος, ἐπαΐξασα Μίμαντι.

Ἀλλὰ κ̀ ὣς ἐρέω τῦ σ' εἵνεκα δεῦρο κάλεσσα. *Hom. Il.* ώ, *v.* 106;

hic quoque videas *Adverbium* εἵνεκα pro ἕνεκα factâ *Ectasi* ad hoc, ut necessariò producta sit *antepenultima*.

Ἴομεν, ὄφρα κε θᾶσσον ἐγείρομεν ὀξὺν Ἄρηα. *Hom. Il.* β'. *v.* 440;

per *Systolen* scriptum ἴομεν, quod certè ἴωμεν scribi debuerat. Est verò *prior* hic modus, quo *Systole* efficitur, mutato, scilicet, ώ in ὁ, aut *Vocali* naturâ *Longâ* in eam, quæ naturâ *Brevis* est, ut *Longa Syllaba*, *Brevis* evadat.

Τίς νύ σε τοιάδ' ἔρεξε φίλον τέκος ὐρανιώνων. *Hom. Il.* φ', *v.* 509;

scriptum ἔρεξε pro ἔῤῥεξε, ut *antepenultima Positione Longa* per *Systolen* fieret *Brevis*. Atque hic modus *alter* est, quo *Systole* habetur, alterâ, scilicet, *Consonante* extritâ, ut *Syllaba*, quæ erat *Positione Longa*, corriperetur. Sic, quùm pro Ἀχιλλῆος ponitur Ἀχιλῆος, &c.

Tandem ex *Diphthongo* altera *Vocalis* abigitur per *Systolen*; quo fit, ut sæpe apud Poëtas Græcos occurrat ταχέα, ἀδέα pro ταχεῖα, ἀδεῖα, &c. Unde hæc omnia neque à pueris aliena esse existimamus.

De Epenthesi.

Epenthesis seu *Epectasis* est additio *Syllabæ* vel *Literæ* in *medio Dictionis*.

Θωρῆξαί ἑ κέλευε καρηκομόωντας Ἀχαιὑς. *Hom. Il.* β', *v.* 11;

Δέγμενος ὁππότε ναῦφιν ἀφορμηθεῖεν Ἀχαιοί. *Hom. Il.* β', *v.* 794.

Exin-

Exinde colligas, *καρηκομbώντας* pro *καρηκομῶντας* dictum; insito *ό* per *Epenthesin*, quod medium est inter *μ'*, & *ώ*, & consequenter adiectâ *Dictioni Syllabâ;* subinde *όπποτε* pro *όποτε* additâ *Dictioni Litterâ π'* per *Epenthesin*.

Verùm de *Epenthesi* satis superque. Interea confer Græcos Poëtas, in quorum scriptis ne pagellam quidem legas, quin multa huius *Figuræ* exempla invenias, quæ etiam occasione datâ valeas æmulari.

De Syncope.

SYncope est ablatio *Syllabæ*, vel *Litteræ* è *medio Dictionis*.

Sequentes *Versus Syncopes* sic acceptæ nobis exempla suppeditabunt.

Ε'σπέριος δ' ἦλθεν καλλίτριχα μῆλα νομεύων. *Hom. Odyss. ν.* 336.

Νωλεμέως ςρεφθεὶς ἐχόμην τετληότι θυμῷ. *Hom. Odyss. ι, ν.* 435.

Etenim in *priore* exstat *vox ἦλθεν*, ex quâ per *Syncopen Vocalis ύ* extrita est, atque ita factum, ut ἦλθεν scriberetur pro ἤλυθεν, è *medio Dictionis* sublatâ *Syllabâ*; in *posteriore* verò *τετληότι* pro *τετληκότι*, per *Syncopen* è *medio Dictionis* sublatâ *Litterâ*, nempe, *κ'*, *Syllabarum* numero neutiquam imminuto.

Syncope ut quis utatur in Græca Poësi cum iis *vocibus*, quibus *Syncope* inesse solet pro more à Græcis Poëtis elegantissimis usitato, nihil prohibet.

De Diæresi, & Synæresi.

DIæresis est divisio vel distractio unius *Syllabæ* in duas, ut: *πάϊς* pro *παῖς*.

Synæresis, *Synaloephe*, *Crasis*, *θλίψις* est *Contractio* dua-

duarum *Syllabarum* in unam, ut τοὔνομα, pro τὸ ὄνομα, κἀγὼ pro καὶ ἐγώ. Hinc *Callimachus Hym. in Cerer. v.* 39;

Τῷ δ' ὕπο ταὶ νύμφαι ποτὶ τὤνδιον ἐψιόωντο;

ubi τὤνδιον pro τὸ ἔνδιον, &c.

Dicitur etiam *Synoecesis*, συνοίκησις, ac inde *Versus*:

Bina *Synoecesis Vocalia* cogit in unam.

Hæc in transcursu, quandoquidem de *Diæresi*, & *Synæresi* abunde egi in *Sect. Secundâ Cap. I.* ad *Præceptum V. De Contractione*.

De Parenthesi.

Parenthesis seu *Interpositio*, de quâ hic loquimur, est additio *Vocalis* in *medio Dictionis*, ita tamen, ut *Syllabæ* non augeantur.

Parenthesis hoc sensu intellecta nimis quàm frequens apud Græcos Poëtas occurrit; quo fit, ut etiam Tirones hâc *Figurâ* citra piaculum uti possint, dum vinctâ pedibus oratione quidpiam proferre adgrediuntur.

Ad exempla quòd adtinet, unum duntaxat in medium adfero; quod tamen satis erit, ut, quid velimus, intelligatur, multò magis, quòd plura non deerunt adtendenti.

Τῆς κύρης, ὅτ' ἔφευγεν· ὅθεν μέγα χώσατο μύρτῳ. *Call. Hym. in Dianam v.* 204;

Κόρη iuxta communem loquendi morem prolata *vox* est; sed Κούρη postea dictum, huic *voci* inserto *ύ* per *Parenthesin*, ut *penultima* produceretur.

De Elleipsi.

Elleipsis apud Grammaticos est, quùm aliqua *vox* orationi deest. Igitur de *Elleipsi* sic acceptâ non loquimur in præsentiâ, sed hâc spartâ Grammaticis ultro

ultro reliƈtâ, in eam, ex quâ Græcus Poëta ſuis *Carminibus* ornamenta quærit, nos convertimus.

Itaque apud Poëtas erit *Elleipſis* unius *Vocalis* ex *medio Dictionis* facta reiectio, numero *Syllabarum* permanente. Exemplo eſſe poterunt *voces* χέρες & ἑτάροισιν pro χεῖρες, & ἑταίροισιν duobus quos hîc ſubiicio, *Verſibus* interpoſitæ:

Βλητὸν ὑπ' Ἀπόλλωνος ἐμαὶ χέρες ἐκτερέϊξαν. *Call. Hym. in Cerer. v.* 102.

Αἰὲν ἐμοῖς ἑτάροισιν ἄδην θυμαρέας ἀξῶ. *Call. Hym. in Cerer. v.* 56.

De Diplaſiaſmo.

Diplaſiaſmus ſeu *Duplicatio* eſt, quùm eadem *Conſonans* in *medio Dictionis* repetitur. Inſigne exſtat huius *Figuræ* exemplum in ſequenti *Verſu*,

Ἰςάμενοι δ' εἴροντο περὶ σπέος, ὅττι ἑ κήδοι. *Hom. Odyſſ.* ἱ, *v.* 402;

ubi *vox* ὅττι per *Diplaſiaſmum* poſita eſt pro ὅτι. Et hoc quidem non ſemel tantùm, ſed μυριάκις à Vate omnium Principe cùm in prolatâ *voce*, tum in aliis factum, adeò ut Poëticæ *Dialecto* operam dare videatur, qui, ubicunque opus ſit, idem imitetur.

De Paralleipſi.

Paralleipſis eſt eiuſdem *Conſonantis* in *medio Dictionis* omiſſio, ut, quùm pro Ἀχιλλῆος ponitur Ἀχιλῆος, &c.

De Paremptoſi.

Paremptoſis eſt diverſæ *Conſonantis* in *medio Dictionis* additio.

Par-

Paremptosin in ſequenti *Homeri Verſiculo* ad *vocem* πτόλιν pro πόλιν non nemo videt,

Λαοὶ μὲν φθινύθυσι περὶ πτόλιν αἰπύ τε τεῖχος. Il. ζ', v. 327.

De Ecthlipſi.

ECthlipſis apud Poëtas Latinos eſt, quùm *Littera* M ſimul cum *Vocali* præcedente propter ſequentem *Vocalem* eliditur. Hinc hemiſtichion in *Proſodiâ* = M, vorat *Ecthlipſis* =.
Hàc utique carent Poëtæ Græci.

Quidam tamen, notante *Iacobo Gretſero*, *De Specieb. Metapl. Cap. XXXI*; ubi de *Ecthlipſi* ſermo eſt, *Ecthlipſin* vocant, quùm è *medio Dictionis Littera* aufertur, quæ *Syllabam* non conſtituit.

Si ita intelligatur *Ecthlipſis*, illicò nobis adeſt exemplum,

Δεύτερον ἱερὸν ἄςυ, ϗ ὕρεα Μηλίδος αἴης. Call. Hym. in Del. v. 287;

quo in *Verſu*, ut liquet, *vox* αἴης poſita eſt pro γαίης; ſublatâ tamen ex ipsâ *voce Litterâ* γ', & numero *Syllabarum* permanente.
Similes *Ecthlipſes Homero* aliiſque Græcis Poëtis haud raræ ſunt. Verùm de *Ecthlipſi* ſatis.

De Paragoge.

PAragoge *Figura* Poëtica eſt, per quam *extremæ Dictionis Syllabæ* aliquid adiungitur.

Paragoges exemplum exſtat in ſequenti *Verſu* ad *vocem* ἔφησθα, quæ uſurpatur pro ἔφης,

Εὐχομένης, ὅτ' ἔφησθα κελαινεφέϊ Κρονίωνι. *Hom. Il. ά, v. 397.*

Fere innumera ex Græcis Poëtis poſſent exempla coacervari, niſi res manifeſta eſſet.

De Apocope.

Apocope est, quùm *fini Dictionis* aliquid detrahitur; hinc *Homerus*,

Καὶ τότ' ἔπειτά τοι εἶμι Διὸς ποτὶ χαλκοβατὲς δῶ. *Il.* ά, *v.* 426;

ubi, scilicet, δῶ pro δῶμα per *Apocopen* ponitur.

Differt autem *Apocope* ab *Apostropho*, ut bene animadvertit *Vir Eruditus Iacobus Gretserus De Specieb. Metapl. Cap.* XXXI., quòd in illâ *Vocales* & *Consonantes*, & integræ *Syllabæ*, in hoc tantùm *Vocales* & *Diphthongi*, & quidem non omnes, tolluntur; præterea *Apostrophus* certo quodam notatur signo, *Apocope* verò nequaquam.

De Cæsurâ.

Cæsura Syllabam Brevem in *fine Dictionis*, & initio *pedis* extendit.

Caussa est, quia mora in illâ *Syllabâ* quædam fit, unde *mansio* vocatur; & quia *ictus* pronuntiationis, ut quidam loquuntur, in hanc *Versûs* partem cadit.

Cæsura est, quùm post *pedem* superest *Syllaba*, quæ finit *Dictionem*.

Eadem locum habet in tantùm non omnibus *metris*, exceptis *Anapæstis* & similibus *Versibus*, qui libenter *Cæsurâ* carent; amant siquidem dissolutos *pedes*: idest, singulis *vocibus* constantes; *Cæsura* autem & *pedes*, & *voces* implicat.

Versus Cæsurâ carentes admittit *Æschylus* sæpe; *Sophocles*, & *Euripides*, longè parciùs; *Aristophanes* aliquando.

In *Versu Iambico Cæsura* nunquam aliquid operari potest ad producendam *Syllabam*.

Cæsu-

Cæſura apud Græcos nullo in *Verſu* magis obvia, quàm in *Hexametro*, in quo eadem poſt ſingulos *pedes* reperitur, ut palam nos docebunt exempla, quæ ſubſequuntur:

Οἱ δὲ μέγα ἰάχοντες ἐπέδραμον υἷες Ἀχαιῶν. Hom. Il. ξ', ν. 421.

Σεῦται γάρ τι ἔπος ἐρέειν κορυθαίολος Ἕκτωρ. Hom. Il. γ', ν. 83.

Ἐκπέρσαι Πριάμοιο πόλιν, εὖ δ' οἴκαδ' ἱκέσθαι. Hom. Il. ά, ν. 19.

Τόξ' ὤμοισιν ἔχων ἀμφηρεφέα τε φαρέτρην. Hom. Il. ά, ν. 45,

Ἶσον τείνειεν πολέμυ τέλος, ὔ με μάλα ῥέα. Hom. Il. ύ, ν. 102.

Hæc habentur de *Cæſurâ* apud Proſodiographos ferè omnes; in quibus tamen, ut id candidè fatear, non mihi ſatisfacio. Utique & ipſe in toto huius Operis decurſu, quoties in eiuſmodi *Syllabas* naturâ *Breves* incidi, in *Verſu* ſubinde *Longas* factas, ad *Cæſuram* Lectorem provocavi; verùm duo hæc tum cordi erant, nimirum, brevitati litare, & ab eâ, quæ apud *Proſodiæ* Scriptores obtinebat de *Cæſurâ*, *Regulâ* non diſcedere. Ceterùm quâ potiſſimum ratione factum ſit, ut ante dictæ *Syllabæ* ex *Brevibus Longæ*, ut inviſuntur, evaſerint, docebo inferiùs, ubi de *Licentiâ*, quam adpellant, *Poëticâ*, ediſſeram.



Figuræ Carminis, ſunt Antipodia, Brachycatalexis, Catalexis, Hypercatalexis, & Dialyſis.

De Antipodiâ.

ANtipodia Figura eſt, quâ *pes* pro *pede* ponitur, ut *Spondæus* pro *Dactylo* in *quinto* loco *Hexametri*.

Τῶ δ' ἤδη δύο μὲν γενεαὶ μερόπων ἀνθρώπων. Hom. Il. ά, ν. 250;

Anapæſtus in *primo*:

Βορέης κ̀ Ζέφυρος, τώ τε Θρήκηθεν ἄητον. Hom. Il. ί, v. 5; nisi corruptè editum sit Βορέης, & legendum, quod & puto verisimilius, Βόῤῥης;

Iambus pro *Spondæo*:

Ὅς ἤδη τά τ' ἐόντα, τά τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα. Hom. Il. ά, v. 70.

Amphibrachys pro *Dactylo*, vel *Spondæo*:

Ἕως ὁ ταῦθ' ὥρμαινε κατὰ φρένα κ̀ κατὰ θυμόν. Hom. Il. ά, v. 193.

De Brachycatalexi.

BRachycatalexis est *pedis* mutilatio in *Versu*:

Οὐ νομ' ὅλον δίζων δε τᾶς μέροπος πόθον. Theocr. Idyll. 32. v. 6;

deficit enim *Spondæus* in *ultimo* loco ad hoc, ut prolatus mox *Versus* integer sit *Hexameter*.

De Catalexi.

CAtalexis propriè est *Syllabæ* mutilatio in *Versu*.

Οὐχὶ κεράσαν ὅν ποτε θρέψατο ταυροπάτωρ. Theocr. Idyll. 32, v. 4;

hic *Hexameter* unâ *Syllabâ* brevior evadit; ideft, in *fine* integrum *Tempus* illi deest; quo minùs iustos *Hexametri* numeros compleat.

De Hypercatalexi.

HYpercatalexis est *pedis*, vel *Syllabæ* abundantia in *Versu*:

Γέλως πονοῦντι φάρμακον μέγιστον ἐν βίῳ. Scalig.

Iambicus Versus Trimeter, in quo *pes* integer superabundat.

Γυνα.κὸς ἀντίοι σταθέντες. Eur. in Or. v. 1479.

Iam-

Iambicus Versus Dimeter, in quo *Syllaba* superabundat.

Hæc de *Brachycatalexi*, *Catalexi*, atque *Hypercatalexi*, quas Græci nominarunt ἀποθέσεις, idest, *Depositiones*, sive *Terminationes*; unde celebris orta est *Versûs* distinctio in *Brachycatalecticum*, qui vulgò etiam dictus est = *Mutilus* =, in *Catalecticum*, quem adpellant = *Pendulum* =, vel = *Semimutilum* =, & in *Hypercatalecticum*, qui etiam dicitur = *Excedens metrum* =; de quibus satis superque iam dixi in *Sect.* *I;mâ* ubi *De Versu* &c.

Ipsæ tandem *voces Brachycatalexis*, *Catalexis*, & *Hypercatalexis* mutilationem, & abundantiam nullibi inveniri posse, præterquàm in *fine Versûs* nobis indicant.

De Dialysi.

D*ialysis* est, quâ *Dictio* in *fine* posita ita distrahitur, ut una pars in præcedenti sit *Versu*, altera in principio *Versûs* sequentis: ut,

Πυκνὰ διvέοντες ἀπ' ὠράν', αἰθέ-
ρος διὰ μέσσω. *Sapph. Od.* I. *v.* II, & I2.



CAP.

C A P. II.um

De Licentiâ, quam adpellant, Poëticâ vulgò minùs intellectâ.

POstquam ea exposuimus, quæ summatim de *Figuris* cùm *Dictionis*, tum *Carminis* exponi potissimum posse videbantur, instituti Operis ratio postulat, ut de *Licentiâ*, quam adpellant, *Poëticâ* proloquamur; quâ quidem in re, ut faciliùs progredi, & Tironibus prodesse possimus, hanc nobis legem imponimus, ut primùm id, in quo sita est *Licentia* ista *Poëtica*, inquiramus, deinde, quibus rationibus eadem sarta tecta servetur, demonstremus; ne unà cum vulgo veteres Græcos Poëtas adcuratissimos similia inscios & inconsultos protulisse nos quoque turpiter existimemus.

Itaque pro *Licentiâ Poëticâ* deputandus non est *Metaplasmus*, quo per *Figuras Orthographicas*, ut in *Cap. I.* huius *Sect.* notavimus, *Dictiones* quodammodo transformantur. Quùm enim in eo positum sit universum pænè Græcæ Poëseos artificium; exinde liquet, *Dictiones Metaplasmo* adfectas ad stylum seu phrasin Poëticam, potiùs quàm ad *Licentiam Poëticam* pertinere. Quare ubicunque obvium fuerit κραδία, τήμερον, σμικρῶν, κείνης, δέχθαι, κώρη, καρηκομόωντας, &c. pro καρδία, σήμερον, μικρῶν, ἐκείνης, δεδέχθαι, κόρη, καρηκομῶντας, hoc erit verum ac legitimum *Figuratè* loqui, aut *Poëticè*, non *Licenter*.

Multò minùs in eo consistit *Licentia Poëtica*, ut *Syllabarum* Quantitates confundantur promiscuè, atque ἀλόγως iis in *vocabulis*, (ut putarunt nonnulli, inter quos *Gretserus De Lic. Poëtic. Cap. XXIX. N. V*;) quæ sine *Licentiâ* leges *Carminis* non subeunt. Hæc enim si dari

dari *Licentia* poſſet, periiſſet utique omnis *Proſodia*.

Ex hâc deducitur obſervatione, eos, qui per *Licentiam Poëticam Syllabas* naturâ *Breves* producunt, in manifeſto errore verſari; maximè verò, ſi eiuſmodi *Breves Syllabæ* in *Nominibus* ſint *Caſuum*, in *Verbis Temporum*, *Perſonarumque Characteriſticæ*, ut *penultimæ* in ſequentibus *vocibus*, ἅρματος, λύσατε, ὄμνυμεν, ζεύγνυμεν, κυρεῖν, κρινεῖς; horumque *Derivatis* κύρις, κριτὴς, & ſimilibus.

Indidem etiam ſequitur, ut *Syllabæ*, quæ naturâ ſunt *Longæ* corripi nunquam poſſint per *Licentiam Poëticam*. Ne quid ampliùs dicam, id ex eo maximè liquet, quòd, ut *penultimæ* in νίκη, τιμὴ, ψυχὴ, χρυσὸς, horumque *Derivatis* & *Compoſitis*; item ut *penultimæ* in κύρω, κρίνω, ὄμνυμι, ζεύγνυμι; *ultimæ* in ὄμνυ, ζεύγνυ; *antepenultimæ* in κύριος, κρίνομαι, ἐκρινόμην, μαρτύρομαι, ἐμαρτυρόμην, & ſimilibus in *Præſentibus* & *Imperfectis*, ut hæ, inquam, *Syllabæ* corriperentur, *Licentia* apud Principes Græcos Poëtas nunquam prorſus eſt ulla.

Ergo malè mulctarunt Græcam *Proſodiam*, qui hunc *Canonem* confinxerunt: “ *Vocales Longæ corripi poſſunt in Carmine per ſolam Syſtolam, puramque Licentiam; cum palam & apertè Longa brevietur; ut ſecunda in* λιγύφθογγος. „ Malè, inquam, mulctarunt Græcam *Proſodiam*, & hallucinati ſunt. Non enim *Longa* eſt *Vocalis* iſta, ſed *Brevis*; ut liquet ex *vocibus* λιγυφώνῳ, & λιγὺς in his *Verſibus*,

Ἡ δ', ἅρπῃ εἰκυῖα τανυπτέρυγι λιγυφώνῳ. *Hom. Il.* τ', *v.* 350;
Ὦρτο δ' ἐπὶ λιγὺς οὖρος ἀήμεναι· αἱ δὲ μάλ' ὦκα. *Hom. Odyſſ.* γ', *v.* 176.

Et quòd λιγύφθογγος *ſecundam* nonnunquam producat, *Poſitioni* ſoli debetur; ſicuti *tenebræ*, *volucris*, & ſimilia, apud Latinos.

Verùm, non ſolùm in λιγύφθογγος, ſed in aliis etiam *vocibus* ſimiles errores ex malè præconceptis de *Licentiâ Poëticâ* opinionibus admiſſi ſunt.

Simi-

Similiter locus non eſt *Licentiæ Poëticæ* iis in *Syllabis*, quæ ab uno Scriptore perpetuò ac conſtanter producuntur, ab alio breviantur promiſcuè & producuntur ab altero ne ſemel quidem producuntur, ſed ſemper breviantur. In numero harum *Syllabarum* erit *prior vocis* καλὸς, quæ occurrens in *Iliade*, & *Odyſſeâ* ampliùs *ducenties* & *ſeptuagies*, ſemper producitur. Eadem apud *Theocritum* ſæpe legitur correpta, ſæpe producta; nonnunquam etiam uno eodemque *Verſu*, ut,

Πολλάκις, ὦ Πολύφαμε, τὰ μὴ καλὰ καλὰ πέφανται. *Idyll.* 6, *v.* 19;

Sophocli, *Euripidi*, *Ariſtophani* ſemper corripitur.

Sed, quia nullus hactenus Græcæ *Proſodiæ* Scriptor, quantùm ſcio, eò uſque pervenit, ut animum diligenter adtenderit ad uſum certum atque conſtantem, quem obtinet apud unumquemque Græcum Poëtam *prima vocis* καλὸς *Syllaba*; quod tamen magni adtendiſſe erat momenti; ſed quivis illam obſervaſſe ſatis habuit modò correptam, modò productam, exinde creditum, καλὸς vel *priorem* habere *Communem*, vel æquum eſſe, eandem producere, & corripere per *Licentiam Poëticam*. Peſſimè utrunque. Non primum; quia pauca admodum, immò pauciſſima ſunt *Vocabula*, quæ *penultimam* habent *Communem*. Non ſecundum; quia caſu & fortuitò evenire omnino non potuit, ut *vox* toties uſurpata, *Syllabam priorem* ne ſemel quidem apud *Homerum* corriperet, apud *Sophoclem*, *Euripidem*, *Ariſtophanem*, ne ſemel quidem produceret, & apud *Theocritum* corriperet promiſcuè & produceret. Atqui quod uni per *Licentiam Poëticam* certè conceditur, alteri non negatur, veluti ex iis, quæ infra dicturi ſumus, adparebit.

Si ergo nec *prima vocis* καλὸς *Syllaba*, nec *Syllabæ* innumeræ eidem ſimiles habendæ ſunt *Communes*, nec per *Licentiam Poëticam* breviari pro arbitrio, vel produci queunt, unde nam tam diverſam ſortiri poterunt

Proſ-

Prosodiam? Non ſanè aliunde, quàm ex diverſis loquendi rationibus; adeò ut, quam ſemel à naturâ in unâquâque *Dialecto* adſecutæ ſunt, quantitatem, eam ibidem debeant omnino retinere.

Et hæc ratio eſt, cur *Homero*, qui eâ ſolummodo uſus eſt *Dialecto*, quæ inter Suos erat *Ionico-Poëtica*, ante dictam *Syllabam*, ut prolato ſtemus exemplo, licuit corripere; *Sophocli* verò, *Euripidi*, & *Ariſtophani* in ſermone *Attico* non licuit eandem producere; quæ quidem loquendi ratio ignota erat *Homero*; quemadmodum illa *Ionico-Poëtica*, in quâ producitur *prima* in καλὸς, &c. Scriptoribus *Atticis*, *Tragicis*, *Comiciſque* non erat licita. At *Theocrito* & aliis, qui *Dialecto Ionicâ* & *Doricâ* promiſcuè uſi ſunt, licuit, ut diximus, ſæpe ipſam corripere, & ſæpe producere. Quâ *Licentiâ Homerus* nuſquam eſt uſus; ſicuti nec αὐτὰς, μύσας, & ſimiles *voces* in *fine* unquam corripuit. Inde colligunt, qui Criticæ litant, (placet hoc obiter adnotare,) *Hymnum* in *Venerem*, & *Epigrammata* aliquot, ubi legitur καλὸς *primâ Brevi*, non eſſe *Homeri*, ſed illi falsò adſcripta. *Heſiodus* quoque, qui *primam* in καλὸς ſæpe producit, ſæpe etiam corripit, *Homero* recentior eſt. Neque hoc ſolùm, verùm etiam, more *Dorico ultimam vocis* τροπὰς, δεινὰς, κύρας, &c. corripuit: cuiuſmodi exempla apud *Homerum* neutiquam occurrunt. Similiter *vocem* ὀπωρινὸς, cuius *penultimam Homerus* ſemper producit, *Heſiodus* recentiore loquendi ratione corripuit, ἔργ. κ̀ ἡμέρ. *Lib.* 2. *v.* 33.

Ex eo etiam, quòd plerique veram pronuntiationem non ſunt adſecuti, ubi illis videre contigit apud Græcos Poëtas *Syllabam* naturâ *Brevem*, *Longam* factam, & è converſò naturâ *Longam*, *Brevem*, ad *Licentiam* confugerunt *Poëticam*. Ita uſu venit in *voce* ἀποειπὼν, quam adfert *Homerus Iliad.* τ', *v.* 35; in quâ *antepenultimam* tantùm producit ſummus idem Vates non ullâ ex *Analogiâ*, neque ullâ ex *Licentiâ Poëticâ*, ſed quia uſi-

 tato

tato more ea *vox* pronuntiabatur vel ἀπυειπὰν, vel apoweipon; quemadmodum & alia *vox ἀποέρσει Iliad.* φ', *v.* 283; pronuntiabatur ἀπυέρσει, vel apowersei, &c. Sic *Longa* interdum corripitur, non ex *Licentiâ Poëticâ*, ut falsò crediderunt nonnulli; ut Hʹ ὐ μέμνῃ, *Iliad.* ύ, *v.* 188; ubi illud ὐ *Breve* est; sed quia enuntiabatur etiam in solutâ oratione eodem prorsus modo ac si scriptum fuisset Hʹυ μέμνῃ, &c.

Tandem Editionum errata pro *Licentiâ Poëticâ* multoties deputantur. Ex. gr. *vox* νώνυμον *Odyss.* ά, *v.* 222; cuius *media* producitur, scribi debuerat νώνυμμον, vel saltem ita pronuntianda; aliàs istud ῡ *Longum* ferri nequit per *Licentiam Poëticam*, præsertim quùm *Odyss.* ν',*v.* 239; & ξ', *v.* 182; corripiatur. Similiter nec *priori vocis* λῶον *Hymn.* in *Apollin. v.* 120; auxiliatum it *Licentia Poëtica*, ubi non λῶον, ut malè *Vulgg.*, sed λόον, ut legit & corrigit *Henricus Stephanus*, scribendum erat; cum aliis innumeris, quæ si percensere vellem, nimis forem prolixus.

Hisce, ad demonstrandum *Poëticam*, quam adpellant, *Licentiam* eam non esse, quæ vulgò existimatur, congestis, reliquum est, ut in quo ipsa propriè & verè consistat, aperiamus. *Poëtica* igitur *Licentia*, quam in Græco Carmine

. . . . . petimusque damusque vicissim,

ea omnis in hoc uno consistit, ut *Syllabæ* quædam naturâ *Breves* certâ quâdam *Positione* fiant productæ. Non utique hæ quidem omnes, neque omni in *Positu*, sed certâ quâdam ac constanti ratione. Certa autem hæc & constans ratio ex mox adferendis observationibus desumenda.

Itaque *Syllaba Longa* ea dicitur, quæ duarum *Brevium Tempus* pronuntiando explet. Sic ῆ, quoniam valet έέ, & ῶ, quoniam valet όό; ᾶ, ῑ, ῡ, quando sunt *Longæ*, quoniam valent άά, ίί, ύύ, semper necessariò producuntur; nisi quùm, propter *Vocalem* sequentem, altera ex componentibus, ut ita dicam, *Vocalibus* elidatur; adeóque τείχη, exempli gratiâ, τείχε' efferatur; χρυσῷ ita

ita pronuntietur, ac si χρυσό' ſcriptum eſſet. Evenit hoc præcipue in *ultimis Syllabis*; ſed quod in omnibus fit *Vocabulis*, ut *ultimâ* in *Syllabâ Vocalis Longa*, ſequente aliâ *Vocali*, *dimidiâ* ex *parte* elidi, hoc eſt, corripi poſſit: id nonnullis in *Vocabulis* etiam in *Syllabis* non *ultimis*, fieri itidem poteſt. Id ipſum accidit in *voce* ἀνίει, cuius *media* ab *Homero* producitur *Iliad.* ό, *v.* 24; alibi verò ab eodem corripitur; id ipſum in *voce* τίω, cuius ί interdum corripitur, interdum verò producitur, &c.

Quemadmodum duplici *Vocali* ή, ώ, ά, ί, ύ; ſic & duplici itidem *Conſonante* fit *Syllaba* neceſſariò *Longa*; ut πάνδοξ, &c., quod eſt πάνδογς.

Ultima cuiuſque *Verſûs Syllaba*, qualiſcunque ea ſit naturâ, & à qualicunque incipiat *Verſus* ſequens; non, ut Grammatici loquuntur, *Communis*, ſed ſemper neceſſariò *Longa* eſt, propter *Pauſam* iſtam, quâ, in *fine*, *Syllabæ ultimæ* pronuntiatio neceſſariò producitur. Atque hinc, ut id obiter moneam, adparet quamobrem in ſolo *Verſu Anapæſtico Syllaba ultima*, vel *Vocali Longâ*, vel *Conſonantium* concurſu, producatur neceſſe ſit. *Pes* nimirum *Anapæſticus*, qui à *Syllabis Brevibus* incipiens in *Longam* deſinit, graviorem in *ultimâ Syllabâ*, quàm *pedum* alius quivis, pronuntiandi *ictum* excipit. Quam ob cauſſam *Pauſa* iſta, quâ omnis in univerſum *Verſus* finitur, in hoc uno *Verſûs* genere minor æquo fuerit, niſi vel *ultima Syllaba* ſit etiam aliàs *Longa*, vel ſententia ipſa ſimul cum *Verſu* finiatur.

Non modò in *fine Verſûs* aut ſententiæ, ſed etiam in *fine vocis* propter (α) *Pauſam*, quâ *Vox* finitur, *Syl-*

 laba

(α) Non tantùm ratione *Pauſæ* quandoque *ultima Brevis* naturâ, fit *Longa*, ſed etiam aliâ ratione à Poëtis id factum eſt, ac præſertim ut ſuos ipſi ſenſus legentibus aperiant, ut *Il.* δ', *v.* 456. - έ, *v.* 302; - ή, *v.* 785; - τ́, *v.* 41; - ί, *v.* 433; - ξ', *v.* 421; - ρ', *v.* 213; μ', *v.* 144; - ό, *v.* 396; & *Odyſſ.* κ', *v.* 323.
Tunc enim *Poëtam Verſûs* ſui numeros verborumque ipſorum ſonum ad rei dicendæ naturam quaſi ζωγραφικῶς ἐκτετυπωμένην exigere certum eſt.

laba alioqui *Brevis* produci poteſt; ut *ultima* in βέλος, μέγα, ἔπος, πόλιν, ἀμφηρεφέα, μάλα, &c. Quæ ſcilicet ita ferè pronuntiabantur, ac ſi ſcripta fuiſſent βέλοςς, μέγαα, ἔποςς, πόλινν, ἀμφηρεφέαα, μάλαα. Etenim Græci pleniùs & productiori ſpiritu, quàm Romani, *Syllabas* ſingulas efferebant. Id autem ex eo liquet, quòd Græci *Vocales* etiam *Breves* in diverſis *Vocabulis* concurrentes, ſæpius non elidant; quùm Romani non *Breves* modò, ſed & *Longas* ſemper omnes, & *Conſonantem* inſuper M, & olim S quoque eliderent.

Fit hoc præcipuè in *Cæſurâ*, quia maior eò incidit pronuntiationis *ictus*. Fieri tamen poteſt & extra *Cæſuram*, ſi *Conſonans* ſit naturâ durior & duplicari ſolita, ut in *voce* ψίθυρ, cuius *ultima* ex hâc ipſâ ratione ſæpe conſpicitur producta; aut ſi *Vocalis* ſequatur *Aſpirata*: ut, ſi poſt αὐτὰρ ſequatur οἱ, &c.

Et propter alias rationes tandem *Brevis* naturâ, *Longa* fieri poteſt, quas, quia ſingulatim omnes congeſſimus ſupra ad *Præceptum III. De Poſitione Sect. II; Cap. I.*, in præſentiâ, ne actum agamus denuò, reticebimus.

Eiuſmodi ſunt rationes, ob quas *Breves Syllabas* in Græcâ Poëſi producere ius faſque ſemper fuit, eritque. Nos etiam id omne obſervare debuimus, ne Tirones noſtri, quò uſque per *Licentiam Poëticam* pervenire liceat, quod pleriſque contingere experti ſumus, ignorare pergerent.

SECTIONIS IIItiæ ET VLTIMÆ

FINIS.

INDEX

INDEX I.

Sectionum, Capitum, & Præceptorum totius Operis.

SECTIO I.

SECTIO II.

PRÆ-

SECTIO III.

INDEX

INDEX II.

Vocum & Rerum notatu digniorum.

A

I

K

L

R

S

T

V

--- Lon-

FINIS.



305
fine

Errata typographica præter ſequentia, ſperatur haud multa repertum iri notatu digna.

Errata	Corrige.
pag. 44. lin. 33. *αἷμα*	*αἷμα*
pag. 67. lin. 20. *Ἡμιον . . . ἥμιον*	*Ἡμισυ . . . ἥμισυ*
pag. 71. lin. 8. ſcripſerunr	ſcripſerunt
pag. 106. lin. 3. *Tehocriti*	*Theocriti*
pag. 124. lin. 21. *δυάλυσις*	*διάλυσις*
pag. 146. lin. 23. Lecto	Lectio
pag. 203. lin. 20. *οακιν*	*ακιον*
pag. 204. lin. 14. *Anthloog.*	*Antholog.*